MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80596-20

AUTHOR:

MALICKI, CLEMENS

TITLE:

DE PALIN PARTICULA

PLACE:

GRYPHIAE

DATE:

1907

Master Negative #

92-80596-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

'.5
v.16

Malicki, Clemens, 1882-
De πάλιν particula. Dissertatio...qvam...
scripsit Clemens Malicki... Gryphiae, typis H.
Adler, 1907.
51 p. 24 cm.

Thesis, Greifswald.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 05 27 92 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

De πάλιν particula.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE GRYPHISWALDENSI

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

CLEMENS MALICKI
CONICENSIS.

1882.

GRYPHIAE
TYPIS HANS ADLER
MCMVII

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

C. Auwers.

ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

Alfredus Gercke, professor p. o.

Examen rigorosum habitum est Kal. Juliis a. MCMVII.

PARENTIBUS CARIS
SACRUM

Carolus Lehrs in libro, quem „De Aristarchi studiis Homericis“ inscripsit, πάλιν vocem apud Homerum nisi „retro“ nihil significare, i. e. solam localem notionem habere affirmavit. Eandem cum in scriptis quarto vel posteriore aliquo saeculo conditis, inprimis Aristotelicis, vario modo, quin etiam haud raro ad enuntiata inter se conectenda, Alfredus Gercke, magister venerabilis, adhibitam esse me monuerit, quando et quo modo vox significationem variaverit, quaerere institui. Obversatur autem animo meo Tychonis Mommsen, qui multo labore impenso de praepositionibus Graecis praeclare disputavit[1]), et Schanzi exemplum, qui per discipulos suos varias res grammaticas anquisivit[2]). Sed quamquam praecipue rem grammaticam tractare mihi in animo est, tamen et id quaerendum mihi proposui, num quid usu et variatione significationis πάλιν vocis constituta ad integritatem scriptorum dubiorum probandam effici possit, cum usum grammaticum aliis temporibus alium fuisse constet. Quid enim effici possit, si in res grammaticas vel in syntaxin secundum aetates inquiratur, ex dissertatione Hermanni de Rohden discimus, qui hiatu apud scriptores diversorum temporum disquisito, qua aetate liber „De mundi miraculis“ conscriptus ortus sit, egregie constituit[3]). Cum in scriptis, quae Aristotelis nomen prae se ferunt, πάλιν vario modo et creberrime adhibitum inveniatur, quaeram, num libri, qui a viris doctis nostrae aetatis aliis de causis Aristoteli abiudicantur, etiam πάλιν vocis usu ab Aristotelis dicendi ratione abhorreant eaque ipsa re illius philosophi esse neganda sint.

---

[1]) Beiträge zu der Lehre von den griechischen Präposit. Berl. 1895.
[2]) Beiträge zur historischen Syntax der griech. Sprache. Würzb. 1883 sqq.
[3]) De mundi miraculis Quaestiones selectae. Bonnae 1875.

Sed priusquam ad rem, quam mihi tractandam proposui, accedo, de nonnullis particulis sententias coniungentibus breviter disserturus sum. A Graecis enim enuntiata saepissime ita constructa esse, ut alterum cum altero antecedente particula quadam coniunctiva coniungeretur, cum sermo Graecus particulis coniunctivis abundaret[1]), nemo est qui nesciat. Has coniunctiones, quibus enuntiatum alterum alteri annectitur, Graeci συνδέσμους appellant. Dionysius Thrax (ed. Uhlig d. 86) σύνδεσμον sic explicat: Σύνδεσμός ἐστι λέξις συνδέουσα διάνοιαν μετὰ τάξεως καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας κεχηνὸς δηλοῦσα (pro δηλοῦσα codices rec. πληροῦσα exhibent, quod exspectamus, ἀδηλοῦσα coni. Alfr. Gercke). Ac tum vir ille grammaticus, quae sint genera συνδέσμων, his verbis exponit: Τῶν μὲν συνδέσμων οἱ μέν εἰσι συμπλεκτικοί, οἱ δὲ διαζευκτικοί, οἱ δὲ συναπτικοί, οἱ δὲ παρασυναπτικοί, οἱ δὲ αἰτιολογικοί, οἱ δὲ ἀπο[ρ]ρηματικοί, οἱ δὲ συλλογιστικοί, οἱ δὲ παραπληρωματικοί.

Coniunctiones porro conectentes (συμπλεκτικούς) sic definit: Συμπλεκτικοὶ (sc. σύνδεσμοι) μὲν οὖν εἰσιν ὅσοι τὴν ἑρμηνείαν ἐπ' ἄπειρον ἐκφερομένην συνδέουσιν. εἰσὶ δὲ οἵδε · μέν δέ τέ καί ἀλλά ἠμέν ἠδέ ἰδέ ἀτάρ αὐτάρ ἤτοι κέν ἄν.

Quoniam cetera genera συνδέσμων ad id, quod mihi tractandum proposui, nihil valent, satis mihi sit hoc genus συμπλεκτικῶν attulisse.

Addo praeterea consecutivis quoque et causalibus coniunctionibus enuntiationem alteram alteri annecti posse, velut his: γάρ; ἄρα οὖν τοίνυν τοιγάρ τοιγάρτοι τοιγαροῦν ὥστε aliis (cf. Kuehneri Gramm. Gr. II 2 p. 317).

Saepissime autem enuntiata δέ particula, quae et copulativam et adversativam vim habet et maxime omnium τὴν

---

[1]) Cf. Brugmann, Gr. Gr. 3. Aufl. München 1900 p. 551: In keiner idg. Sprache ist die Verwendung satzverbindender Wörter so häufig geworden als im Griechischen. Es war dies im Partikelwesen dieser Sprache begründet. Schon im selbständigen Einzelsatz bediente sich der Grieche einer großen Anzahl von Partikeln, um den besonderen Stimmungen, welche Behauptungen, Fragen, Wünsche, Befehle usw. begleiteten, Ausdruck zu geben. Ein Teil dieser Satzpartikel, z. B. *μέν* und *εἰ*, wurde zugleich satzverbindend. Andere gewannen von anderer Seite her diese Funktion, z. B. *ἀλλά* (aus *ἄλλα*).

ἑρμηνείαν ἐπ' ἄπειρον ἐκφερομένην conectere potest, inter se coniunguntur. Eo magis mirum est scriptores quosdam, in quibus Aristotelem, adverbiis quoque uti ad enuntiata coniungenda, quae nisi cum δέ particula coniuncta ad enuntiata inter se conectenda adhiberi non posse nobis videntur. Harum coniunctionum has potissimum notandas esse arbitror: ἔτι „praeterea" ab Aristotele aliisque partim cum δέ particula initio enuntiationum coniungitur, partim solum, δέ omisso, ponitur (ab Epicuso contra ἔτι τε, quod etiam interdum apud Aristotelem est).

Particulis temporis solis enuntiatum alterum alteri annecti in universum vix potest. Si igitur ἔπειτα vel εἶτα initio enuntiationis ponitur, hanc coniunctam cum antecedente δέ particula fore exspectamus. At apud Aristotelem ceterosque fere omnes semper ἔπειτα vel εἶτα solum, δέ omisso, scribitur. (Xenophon promiscue aut sola voce „ἔπειτα" aut „ἔπειτα δέ" utitur, Andocides semper fere „ἔπειτα δέ")[1]). Omittitur illud δέ etiam ubicumque μέν praemissum est. In scriptis, quae Aristotelis nomen prae se ferunt, plerumque sic coniunctum εἶτα vel ἔπειτα invenitur[2]):

πρῶτον — εἶτα
πρῶτον — εἶτα οὕτω
πρότερον μὲν — εἶτα
πρῶτον μὲν — εἶτα
μάλιστα μὲν — εἶτα.

Item apud ceteros scriptores omnium aetatum legimus, ut supra dictum est: πρῶτον μέν et semper fere ἔπειτα correspondens. Sed quando aliae dictiones, quae tempus determinant, verbo πρῶτον μὲν respondentes usurpantur, cum δέ particula coniunguntur, velut semper πρῶτον μὲν — μετὰ δὲ ταῦτα aut πρῶτον μὲν — δεύτερον δέ, aliae.

Offendimus, inquam, in eiusmodi usu, cum Graecos tanto amore δέ particulae usurpandae affectos fuisse sciamus, ut nonnunquam eam pro aliis coniunctionibus ponerent. Kuehner II 2, 230 praeter alia exempla haec affert:

---

[1]) Ceterum vide Kuehn. Gr. Gr. II 2 p. 346.
[2]) v. Bonitzi Indicem Aristot.

Il. IX 496 sqq. ἀλλ' Ἀχιλλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν · οὐδέ τί σε χρή
νηλεὲς ἦτορ ἔχειν · στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.
XIV 416 τὸν δ' οὔπερ ἔχει θράσος, ὅς κεν ἴδηται ἐγγὺς ἐών · χαλεπὸς δὲ Διὸς μεγάλοιο κεραυνός.

In Anacreonteorum carmine sexto hoc inveni:

τὸ σήμερον μέλει μοι,
τὸ δ' αὔριον τίς οἶδεν;

In his versibus laudatis δέ pro γάρ dictum esse facile apparet. Alia exempla ex Euripide, Thucydide, Xenophonte, Lycurgo, aliis sumpta invenies apud Kuehn. II 2 p. 230.

Hic quoque πλήν commemorandum est, quod ad primam praepositionis significationem „prope ad, iuxta“ plurimas notiones assumpsit, ut in enuntiationum structura vario modo adhiberi posset[1]).

Hac commentatione significationem usumque πάλιν vocis, cui Carolum Lehrs apud Homerum inesse solam localem notionem affirmavisse dixi, temporis progressu tantopere variata esse videbimus, ut simili modo ac laudatae illae particulae ad sententias coniungendas adhiberetur (cf. e. c. Aristot. 970 a 19 πάλιν τοῦ μὲν ἀμεροῦς μία σύναψις aut 970a 33 πάλιν εἰ τὸ κεκινημένον . . . alia).

Atque evolventi complura scripta, quae quarto vel posteriore aliquo saeculo condita sunt, non solum apud Aristotelem sed etiam apud alios hic πάλιν vocis usus haud raro mihi occurrit. Aristotelis vero scripta (dico omnia scripta, quae aut ab Aristotele ipso profecta aut falso ei supposita sunt), quantopere inter se differant πάλιν coniunctionis usu, postea demonstrabo. Ac iam nunc idem me invenisse atque idem contendere dico, quod Rudolfus Eucken, qui de compluribus particulis in Aristotelis scriptis adhibitis scripsit[2]), p. 3 annotavit: „Addo ex dicendi ratione accu-

[1]) De particulis quibusdam Brugmann (Gr. Gramm.) luculenter agit, cum varii usus exempla afferat; neque tamen nobis sufficit, cum quo temporum ordine structurae, in quibus illae voces adhibentur, ortae sint, inde nihil discamus.

[2]) Dissertatio inauguralis De Aristot. dicendi ratione. Prima pars. Observationes de particularum usu. Gottingae 1866.

ratius tractanda haud raro apparere et tota ipsius Aristotelis scripta inter se et singulos libros eiusdem scripti miro modo dissentire; quae res multum prodesse potest ad iudicium, quo ordine Aristoteles libros scripserit, constituendum“.

Sed de hac re postea; nunc quomodo significatio πάλιν vocis volventibus annis aucta sit et plures notiones ex prima illa „retro“ significatione ortae sint, videamus.

At primum quidem paucis, quae ad etymologiam huius vocis pertinent, de qua haud paulum viri docti disputaverunt et disputant, attingam. Necdum enim etymologice haec vocula satis explicata est: Prellwitz[1]) eiusdem originis ac πάλαι esse falso, id quod hac commentatione perlecta apparebit, suspicatur. Benfey[2]) hanc vocem comparavit cum sanscritico parê, quod item „retro“ vel, ut nostro sermone utar, „zurück, umgekehrt“ significat. Sed posterius aliter quoque explicari posse concessit, i. e. cum πέλομαι aut cum πάλλω (= πάλιω)[3]) cohaerere posse dixit. Quod si ita esset, πάλιν cohaereret cum sanscritico √hvři. Equidem cum parum versatus sim in originibus vocum explicandis, certam sententiam aut explicationem proferre nolim. Neque tamen a πέλομαι verbo πάλιν secernendum esse puto, quod significationem vocis illuc spectare consentaneum est. Similiter Brugmann[4]) originem πάλιν vocis explicat: ἔπλετο πόλος πάλιν zurück, rursus (ἔμπαλιν inversum); item Menge[5]) cum πέλω cohaerere πάλιν suspicatur.

Quae est autem „ιν“ terminatio voci suffixa? Difficillima quaestio est, cum non inveniantur apud Graecos nisi duo adverbia, quibus „ιν“ terminatio suffixa est: πρίν et πάλιν. Nimirum falso Etymologicon Magnum πρίν sic explicat: πρίν · Ἐπίρρημα χρόνου δηλωτικόν. Ἐκ τοῦ πάρος παρὶν καὶ συγκοπῇ πρίν. Nunc a plurimis viris doctis

[1]) Etymologisches Wörterbuch der griech. Sprache. Götting. 1892.
[2]) Griechisches Wurzelwörterbuch 1, p. 130. Berl. 1839.
[3]) Ib. 2, p. 293. Berlin 1842.
[4]) Griech. Gramm. p. 113 ed. III.
[5]) Griech. Wörterbuch.

cum πρό comparatur[1]. C. A. J. Hoffmann[2] eodem modo ac comparativos ortum esse putavit προ-ιον προιν πριν ut latinum proios prius pris, sup. pri-mus, cui respondens H. Weber[3] locativum potius statuit, ut „ex-in“, „de-in“.

Hartel[4] quod pertinet ad terminationem H. Weberi sententiam sequitur, cum-ιν latino-im respondere arbitratur. Ac derivat Hartel πρίν ex radice πρό et suffixo -ιν, πάλιν ex radice παλ et suffixo -ιν, cum παρ et παλ formas promiscue adhibitas eiusdem radicis fuisse putet, ad quas metathesi πρα et vocalium numero aucto προ accesserit. Hanc Harteli sententiam Josephus Sturm, qui agit de origine constructionum cum πρίν particula compositarum[5], comprobat.

Naegelsbach[6] olim πάλιν πάλι locativum fuisse putavit (‘im Umschwung’), ex qua significatione facile ἔμπαλι(ν) explicari posset. Neque tamen recte ἔμπαλι et πάλι ad explicandam vocis etymologiam adhibet, cum hae formae recentis originis sint neque apud vetustiores auctores inveniantur. Ortae autem falsa sunt analogia, (cf. ἀνόπι: ἀνόπι(ν) πέρυσι: πέρυσι(ν), cum ν terminationis ν ἐφελκυστικόν esse putaretur, quod vituperat Phrynichus Atticista, qui haec in lexico habet: πάλι · οὕτω λέγουσιν οἱ νῦν ῥήτορες καὶ ποιηταί, δέον μετὰ τοῦ ν πάλιν, ὡς οἱ ἀρχαῖοι λέγουσιν.

Aliam viam ingressus F. Solmsen[7] ab ἔμπαλιν particula initium quaerendi facit, qui ut ἐν olim cum accusativo

---

1) L. Meyer, Vgl. Gramm. 1. Aufl. Berl. 1861—65. 1, 33. 328. G. Curtius, Grundzüge der gr. Etymologie. 3. Aufl. Leipz. 1869. p. 266.

2) Quaest. hom. 1, 99. Clausthal 1842.

3) Philol. 16, 687.

4) Stzb. d. K. Akad. d. Wissensch. 68. Bd. 1871 p. 453.

5) Schanz, Beiträge zur historischen Syntax der griech. Sprache. I. 3, p. 4 sqq. Würzb, 1883 ff.

6) Anmerkungen zur Ilias, Nürnberg 1864, p. 34: *πάλιν πάλι* sieht ganz aus wie ein alter Lokativ des Stammes von *πάλλειν* (wie *πρίν* des von *πάρος*), so daß es eigentlich bedeutete: im Umschwung. Daraus erklärt sich dann sehr einfach *ἔμπαλι(ν)*, zu dem wie zu *πάρος* u. *πρίν* der Artikel tritt.

7) Mus. Rh. 61 (1906) p. 491. Daß wie im Lateinischen, Germanischen u. den anderen europäischen Sprachen, auch im Griechischen diese Form der Präposition einmal in allen Mundarten, insonderheit

in adverbiis ἐν-ῶπα, ἔν-αντα, aliis coniunctum fuerit, sic ἔμ-παλιν ortum esse ex ἐν + πάλιν explicat.

Hanc explicationem valde comprobandam esse puto. Neque enim recte alii viri docti πάλιν una cum πρίν tractant, cum vocibus plane aliae significationes insint variaeque originis esse videantur.

Sed transeo ad alia; atque quemadmodum singuli pedestris orationis scriptores et poetae hac voce usi sint, quaeram. In disquirendis autem sic progressurus sum, ut secundum tempora tractem singula. Neque vero ex singulis scriptis nonnulla exempla allaturus, sed quam accuratissime de auctorum dicendi usu disputaturus sum, cum rectissime O. Hoffmannum[1] eos vituperare intellexerim, qui ad complurium auctorum dicendi rationem illustrandam eundem fere exemplorum numerum afferunt ex singulis scriptoribus sumptum. Quam falsum enim est, (sic fere disseruit O. Hoffmann), constructionem aliquam, quae e. c. apud Thucydidem bis, apud Xenophontem autem centies inveniatur, duobus exemplis ex Thucydide, duobus ex Xenophonte sumptis illustrari!

Nec scriptores secundum dialectos discernam, quia hac distinctione nihil effici vidi: at efficitur aliquid temporum ordine digesto.

Priusquam autem ad singulos auctores tractandos accedo, πάλιν vocem et cum verbis coniunctam et sine verbis usurpatam inveniri mihi dicendum est. Ac prioribus quidem temporibus nisi cum verbis coniunctam non inveniemus, posterioribus etiam aliis modis adhibitam.

Jam de qua re agatur, ut appareat, exempla varii usus proferam.

---

auch dem Jonisch-Attischen mit dem Akkusativ verbunden wurde, lehren ein paar adverbial erstarrte Überreste: hom. *ἐν-ῶπα* ‘ins Gesicht’, *ἐν-δέξια* ‘nach rechts hin’, *ἔν-αντα* ‘ins Gesicht, entgegen’, jon.-att. *ἐν-αντίον* ‘ins Gegenüber, entgegen’, att. *ἔμ-βραχυ* ‘bis auf ein kurzes, genau ein bischen’, endlich, wie ich glaube und an anderem Orte näher begründen werde, jon.-att. *ἔμ-παλιν* ‘in eine Wendung, zurück, entgegengesetzt’.

1) Kroll, Berichte über die Fortschritte der klass. Altertumswissensch. 1905, p. 77.

Primo cum verbis meandi, movendi, agendi coniunctum:

1a retro: ἰέναι πάλιν Il. XVI 87.

1b contra, quod Graecis idem est ac „retro“ (sc. cum verbo) πάλιν ἀντευποιεῖν Aristoph. Plut. 1029.

2 iterum vel denuo: πάλιν ἐπειρώτων Herod. I 86.

Cum verbo coniunctum aut sine verbo posterioribus demum saeculis:

3 temporali sensu: Demosth. Ol. I 13 τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβών, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτείδαιαν.

4 ad narrationem continuandam, ab aliis πάλιν δέ verbis, ab aliis πάλιν solo adhibito: Aristot. phys. ausc. 243b 3: ἡ μὲν γὰρ ἔπωσις ὦσίς τίς ἐστιν . . . . πάλιν ἡ δίωσις καὶ σύνωσις ἄπωσις καὶ ἕλξις εἰσιν.

5 Intra sententias ad δέ particulae vim augendam aut pro δέ ipso positum: Epistologr. p. 536a (Hercher) ὑπάρχει πῆ μὲν βότρυς λαμβάνειν, πῆ δὲ πάλιν ἰχθῦς.

In singulis scriptis tractandis etiam aliter adhibitam vocem inveniemus.

Ac iam transeamus ad ipsos auctores.

In carminibus Homericis

πάλιν duodesexagies invenitur: in Iliade undequadragies, in Odyssea undevicies. Neque hic quicquam aliud significare nisi „retro“, nusquam „rursus“ vel „iterum“ Lehrs in „De Aristarchi studiis Homericis“ statuit. Quod ut observaret, scholiastarum Iliadis annotationibus inductus est, qui Aristarchum secuti ubique notionem „retro“ intellegi volunt. Atque idem ex lexico Hesychii Alexandrini discimus:

πάλιν · εἰς τοὐπίσω. Ἀρίσταρχος τὸ πλέον πάλιν τοπικῶς χρῆσθαί φησι τὸν ποιητὴν καὶ οὐχ ὡς ἡμεῖς χρονικῶς.

Idem legimus in Apollonii Sophistae Iliadis et Odysseae lexico: πάλιν · εἰς τοὐπίσω. Αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ.

καὶ παραλλήλως ἄψ. ὡς γὰρ τὸ ἄψ ὀπίσω, οὕτως καὶ τὸ πάλιν. καὶ παλιμπλαγχθέντας εἰς τοὐπίσω πλανηθέντας.

Jam cum sint, qui Lehrsio obloquantur [1]), mihi paulo accuratius de Homerico dicendi usu agendum est. Vicies in Iliade πάλιν cum verbis eundi vel movendi coniunctum est: I 380 πάλιν ᾤχετο, VI 189 πάλιν οἰκόνδε νέοντο, IX 408 πάλιν ἐλθεῖν, IX 657 ἴσαν π., X 281 π. ἀφικέσθαι, XI 356 π. ὀρμένω, XI 652 π. εἶμι, XV 149 π. κίε, XVI 87 ἰέναι π., XVI 95 π. τρωπᾶσθαι, XVI 367 πέραον π., XVII 533 ἐχώρησαν π. αὖτις, XVIII 138 π. τράπεθ', XVIII 280 ἄψ π. εἶσ' ἐπὶ νῆας, XXI 504 π. κίε, XXIII 229 π. αὖτις ἔβαν οἰκόνδε νέεσθαι, XXIII 257 π. κίον, XXIV 462 π. εἴσομαι, XXIV 596 π. ἤιε, XXIV 801 π. κίον.

Cum aliis verbis: III 427 ὄσσε π. κλίνασα, IV 214 π. ἄγεν ὀξέες ὄγκοι, V 257 π. αὖτις ἀποίσετον, V 836 π. ἐρύσασ', VIII 399 π. τρέπε, item VIII 432, IX 56 π. ἐρέει (?) X 355 π. ὀτρύνειν (?), XIII 3 et XXI 415 π. τρέπεν ὄσσε φαεινώ, XX 439 π. ἔτραπε, II 276 πάλιν αὖτις ἀνήσει (schol. ὅτι τὸ μὲν πάλιν εἰς τοὐπίσω, τὸ δὲ αὖτις χρονικὸν ἐξ ὑστέρου.) Quater cum dandi verbo coniunctum „reddere“ significat (i. e. in priorem statum restituere, vel, ut accuratius dicam, eadem via dare qua acceperis = retro dare, quod idem nos sentimus, cum dicamus „zurückgeben“, non iterum dare): I 116, VII 79, XXII 259, XXII 342.

De Il. I 59 iam a veteribus Graecis multum disputatum esse et ex scholiis et ex Eustathii commentariis in Iliadem compositis comperimus. Sic enim legitur ille versus:

Ἀτρείδη, νῦν ἄμμε πάλιν πλαγχθέντας ὀΐω
ἄψ ἀπονοστήσειν . . .;

haec autem sunt verba, quae Achilles Agamemnoni dicit, cum Achaeorum exercitus Apollinis iaculis periret. Erant enim inter carminum Homericorum interpretes, qui πάλιν πλαγχθέντας = iterum errantes esse putarent, cum per Graeciam Cypriorum narratio innotuisset, quae Achaeos in Mysiam aberrantes fecerat. Hanc fabulam, ut dixi, Eustathius dum in commentariis Iliadis I 46,35 sqq. refert, fuisse interpretes, qui παλιμπλαγχθέντας ἐκ δευτέρου πλανηθέντας esse credidissent, quippe qui illam de aberratione Achaeorum

[1]) Cf. Dindorf. in Thes. l. Gr. sub. v. *πάλιν*. Classen, Beob. ü. d. hom. Sprachgebr. Frankf. a. M. 1867, p. 75.

fabulam nossent, explicat. Ut de qua re agatur, quicunque hanc commentationem legerit, percipiat, et quid de illa fabulae versione iudicandum sit, ipse sibi iudicium constituat, liceat mihi quae Eustathius narrat, breviter, referre. Haec fere legimus: Achaeos in Mysiam, quae Telephi esset, advectos terram devastasse. Tum Telephum contra eos surrexisse atque hostes vexasse ab eisque vexatum esse. Vulneratum enim esse ab Achille, cum Dionyso auctore equus eius clavicula vitis implicatus humi cecidisset. Attamen ab eo effectum esse, ut Achaei infecta re proficiscerentur. Sed cum vulnus insanabile esset, deum consultum esse a Mysorum rege, qui vulneratum nisi ab eo, qui vulneraverit, sanari non posse praedixerit. Navigasse igitur Telephum quam celerrime ad Achillem et alterum quidem vulnus sanavisse, alterum, ut gratiam referret, Achaeis viam, qua in Troadem pervenire possent, monstravisse. Ut igitur semel olim Achaei de via aberraverint, ne sic iterum aberrarent, Achillem timuisse qui arbitrarentur fuisse.

Ad ea, quae modo rettuli, Eustathius haec adicit: Ἄλλοι δὲ οὐκ ἀρεσκόμενοί φασιν, ὅτι οὔτε τὸ πάλιν ὅλως ἐπὶ τοῦ ἐκ δευτέρου κεῖταί που παρὰ τῷ ποιητῇ καὶ οὐδὲ φαίνεται ὁ ποιητὴς Τηλέφῳ ἢ ἑτέρῳ τινὶ ἀνατιθεὶς τὴν ὁδηγίαν τὴν εἰς τὸ Ἴλιον, ἀλλ' ἢ τῷ μάντει Κάλχαντι. Minus vere autem illi ἄλλοι vulgarem opinionem argumentis refellere student, quae Eustathius sic tradit: φασὶ δὲ καὶ ἄλογον εἶναι δευτέραν ταύτην πλάνην παθεῖν τοὺς Ἕλληνας. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἐκεῖνο ἀληθῶς ἦν πλάνη, οὐ γὰρ εἶχον εἰδέναι, ὅποι πλέουσι. τοῦτο δὲ οὐκ ἂν ἔχοι τις πλάνην εἰπεῖν, τά τε γὰρ κατὰ τὴν Τροίαν οἴδασι, καὶ οὐδὲ οἴκαδε πλανηθῆναι ἄν ἀλλὰ νοστῆσαι λεχθήσονται.

Recte igitur Lehrs. veteres interpretes (cf. praeterea Ariston. ἡ διπλῆ πρὸς τὴν τῶν νεωτέρων ἱστορίαν, ὅτι ἐντεῦθεν τὴν κατὰ Μυσίαν ἱστορίαν ἔπλασαν; Hesych. Alexandr. παλιμπλαγχθέντας· ὀπίσω πλανητούς, οἷον ὑποστρέψοντας εἰς τοὐπίσω, ἢ πλανηθέντας; schol. BL παλιμπλαγχθέντας· εἰς τοὐπίσω πλανηθέντας ἀπελθεῖν, μάτην ἐπανακάμψειν εἰς τὰ οἰκεῖα, ἐάνπερ δὴ ὅλως τὸν θάνατον ὑπεκφύγοιμεν.) secutus cumque ipsi illa in Mysiam aberrationis fabula parum veri similis esse videretur, p. 187 (ed. III.) haec dicit: „Nec in Mysiam Graeci delati nec per Telephum viae gnarum Troiam ducti ut apud recentiores. Ansam fingendae fabulae dedit versus A 59, quo παλιμπγαγχθέντας intellegerent „iterum errantes“.

Vides poetam hoc loco nihil aliud dicere voluisse nisi hoc: dicit Achilles: Atrida, nunc „a termino retro repulsos atque infecta re“ (Ebeling) domum reversuros nos esse puto, dummodo mortem effugiamus.

Falso igitur Classen [1]) hic πάλιν = „iterum“ intellegendum esse putat. Optimus quoqu sensus Od. XIII 5 deleretur, si cum Classeno „iterum errantem“ interpretaremur. Neque enim dubium est, quin Alcinous rex hospiti hoc dicat: Cum domum meam deverteris, in patriam te reversurum esse existimo, non repulsum retro (sc. ab eo, quod petas).

Duobus praeterea locis primo obtutu neglegentius interpretanti πάλιν idem valere atque „iterum“, i. e. temporalem significationem habere videtur: Il. IV 357 et Od. XIII 254 (liceat mihi una utrumque locum tractare): πάλιν δ'ὅ γε λάζετο μῦθον.

De quibus versibus quamquam a viris lexicographis quo modo intellegendi sint, satis perspicue explanatum est, tamen paucis eos attingere velim, quoniam hic quoque, ut ceteris carminum Homericorum locis, πάλιν nihil nisi „retro“ esse mihi demonstrandum est. — Videamus igitur, in quo conexu illa verba Iliadis sint: Agamemnon duces Achaeorum, quibus ignaviam opprobrio dederat, in edendo plus valere dixit quam in pugnando. Quibus verbis iratus Ulixes eum vehementer castigavit. Deinde Agamemnon, cum se iniuriam fecisse intellexerit, comiter Ulixi arridens verba aliter vertit, ea, quae iam dixit, revocat, ut ita dicam. Atque haec poetam exprimere voluisse vel ex sequentibus verbis clementer pronuntiatis apparet.

Dilucidior etiam est sensus versui Od. XIII 254 sub-

---

[1]) Beob. ü. d. Hom. Sprachgebr. p. 74 sqq.

iectus, ubi versio „ille iterum verbum arripuit“ absurda esset; v. 253 sqq. enim sic legimus:

καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
οὐδ' ὅ γ' ἀληθέα εἶπε, πάλιν δ'ὅ γε λάζετο μῦθον.
αἰὲν ἐνὶ στήθεσσι νόον πολυκερδέα νωμῶν.

Cui loco hic sensus inest: Non multum afuit, quin Ulixes, cum laetus esset, quod in patriam reverterat, quis esset, ipse pronuntiaret. Atque loqui incipit a v. 253, neque tamen verum dicit, sed verbum, quod iam pronuntiaturus est, retinet neque se prodit, ut est semper prudens[1]).

Alium versum Iliadis non minus in disceptationem vocatum, X 355/6 silentio praeterire nolim:

ἔλπετο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀποστρέψοντας ἑταίρους
ἐκ Τρώων ἰέναι πάλιν Ἕκτορος ὀτρύναντος[2]).

Dubium enim est, cum quo verbo πάλιν coniungendum sit. Imm. Bekker[3]) Heynium, quod post πάλιν distinguit, vituperat. Secutus autem est Heyne Aristarchum, qui πάλιν cum ἀποστρέψοντας versus antecedentis coniungendum esse dixit, id quod scholion huius versus docet: ἡ διπλῆ ὅτι τὸ πάλιν συναπτέον τῷ ἀποστρέψοντας, ἵνα ᾖ εἰς τοὐπίσω ἀποστρέψοντας. Bekker ipse πάλιν cum ὀτρύναντος coniungit, quocum ἰθὺς φρονεῖν falso comparat. Falso, inquam, comparat ἰθὺς φρονεῖν, quod nihil aliud est nisi „recte, bene cogitare“, cum in verbis πάλιν ὀτρύναντος, si hoc modo coniungerentur, „ἰέναι“ subaudiendum esset. Ac πάλιν ὀτρύνειν pro πάλιν ἰέναι ὀτρύνειν a Graecorum dicendi usu abhorrere videtur, at post πάλιν distinguere re metrica vetamur. Rectam autem interpretationem schol. A exhibere videntur: στικτέον μετὰ τὸ ἐκ Τρώων. ἐστὶ γὰρ ὁ λόγος, ἤλπιζε γὰρ ὁ Δόλων ἑταίρους αὐτοῦ ἐκ τῶν Τρώων ὑπάρχειν, ὡς κελεύσαντος τοῦ Ἕκτορος

[1]) Cf. schol. H ad hunc versum:
πάλιν δ' ὅ γε λάζετο] εἰς τὸ ἐναντίον ἔστρεφεν.
Falsum explicant schol. V litera notata, quae haec exhibent: *εἰς τοὐναντίον τοῦ ἀληθοῦς, ὅ ἐστιν, ἐκ δευτέρου δὲ τὸν λόγον ἀνελάβετο.*

[2]) De hoc versu v. Ameis Anhang zu Homers Ilias. II annot. ad K 355 sq.

[3]) Homerische Blätter, p. 22. Bonn 1858.

εἰς τὰ ὀπίσω αὐτὸν ὑποστρέψαι. ἀποστρέψαντας γὰρ εἰς τοὐπίσω καλέσαντας.

In Odyssea, ut supra dictum est, duodevicies πάλιν invenitur plerumque cum verbis eundi vel movendi coniunctum: I 360 πάλιν οἰκόνδε βεβήκειν, VI 110 π. οἰκόνδε νέεσθαι, VII 143 π. χύτο θέσφατος ἀήρ, VII 280 νῆχον π., XI 149 π. εἶσιν ὀπίσσω, XIII 5 π. πλαγχθέντα (ut Il. I 59), XIII 125 οἰκόνδε π. κίον, XIV 356 π. αὖτις ἔβαινον, XV 431 νῦν π. αὖτις ἅμ' ἡμῖν οἴκαδ' ἕποιο, XVI 177 π. κίεν, item XXIII 295, XVI 467 π. δεῦρ' ἀπονέεσθαι, XIX 533 π. ἐλθέμεν, XXI 354 π. οἰκόνδε βεβήκειν, item XXIII 292;

cum aliis verbis coniunctum:

XIII 254 π. δ'ὅ γε λάζετο μῦθον, IX 95 ἀπαγγεῖλαι π. οὐδὲ νέεσθαι (sc. πάλιν), XVI 456 π. ποίησε γέροντα = restituit in priorem statum senilem (postquam XVI 172 sqq. eum ex sene iuvenem fecit), cf. ἂψ δὲ μελαγχροιὴς γένετο XVI 175.

Vidimus igitur in carminibus Homericis πάλιν plerumque cum verbis eundi vel movendi coniungi, quae verba cum πάλιν composita reditum ad id notant, unde profectus sis. Sic etiam aliorum verborum cum πάλιν coniunctorum notio intellegenda est: ἀπαγγέλλειν π. = π. ἐπανελθόντα ἀπαγγέλλειν (cf. Xenoph. I 3, 19 ἀπαγγεῖλαι δεῦρο). At difficilius explicatu est πάλιν ποίησε γέροντα et πάλιν ἐρέει. Cur Lehrs de his versibus nihil dixerit, miror. Πάλιν ποίησε γέροντα, quod ceterum in libro recentioris originis est, nescio an intellegendum sit: restituit eum „retro“ in eundem statum, unde egressus erat. Utut res se habet, πάλιν apud Homerum temporalem significationem nunquam habet. Πάλιν ἐρέει Il. IX 56 non „iterum dicere“ esse ex conexu apparet:

οὔ τίς τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται, ὅσσοι Ἀχαιοί,
οὐδὲ πάλιν ἐρέει.

Quid autem significant verba πάλιν ἐρέει? Scholiasta sic explicat: Τὸ πάλιν οὐκ ἔστιν ἐκ δευτέρου ὡς ἡμεῖς ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ἔμπαλιν ἐρεῖ, ἐναντίως, alius οὐδὲ πάλιν ἐρέει] οὐδὲ ἀντερεῖ. Similiter Hesych.: ἐναντιωθήσεται ἢ ἀντερεῖ et Etym. Magn:
Πάλιν: Σημαίνει καὶ τὸ ἐξεναντίας ὡς τὸ . . . οὐδὲ πάλιν ἐρέει.

Scholiasta igitur (Ariston.?) sua aetate πάλιν ἐρέει pro ἐναντίως ἐρεῖ aut ἀντερεῖ dici non posse, potuisse ab Homero putat. At haec notio ex naturali illa et principali „retro“ significatione explicari non potest. Actio enim, quae verbo aliquo cum „retro“ coniuncto exprimitur, spectat eo, unde profecta est.

Sic omnes locutiones, in quibus πάλιν „contra“ vertimus, intellegendae sunt, velut π. διδόναι, vel Theogn. 108 οὔτε κακοὺς εὖ δρῶν εὖ πάλιν ἀντιλάβοις, vel ibd. 735 π. τῖσαι κακά = quasi remittere mala eo, unde profecta sunt, aut Aristoph. Plut. 1029: τὸν εὖ παθόνθ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ πάλιν μ᾽ ἀντευποιεῖν δίκαιόν ἐστιν. Cum illis verbis πάλιν ἐρέει comparari non potest.

At hic quoque πάλιν locali sensu eodem modo ac quinquaginta septem ceteris locis intellegendum est, i. e. οὐδὲ „πάλιν“ ἐρέει = neque „retro“ (sc. revertamur) dicet, neque reditum loquetur, quae verba sic intellecta rem orationis Diomedis et id, quod caput erat, optime repetunt. Quod ut Nestor Achaeorum loco asseverare posset Diomedi, v. 50 effecit, ex quo Achaeos haudquaquam in patriam reverti velle concludi potuit. Quanto efficacior et elegantior fit versus, si Nestor asseverat „Ne timueris, Diomedes, neque enim quisquam Achaeorum, quae dixisti, vituperabit neque reditum loquetur“ Diomedi, qui dubitans, utrum Achaei mansuri an domum reversuri essent, v. 45 illa pronuntiavit:

ἀλλ᾽ ἄλλοι μενέουσι κάρη κομόωντες ᾽Αχαιοί,
εἰς ὅκέ περ Τροίην διαπέρσομεν. εἰ δὲ καὶ αὐτοί
(sc. νέεσθαι ἐθέλουσι),
φευγόντων σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,

quam si interpretamur „tibi obloquetur“, quibus verbis nihil diceretur!

Quicunque scholiastarum lexicorumque explicationem retinens πάλιν ἐρέει pro πάλιν νέεσθαι ἐρέει ab Homero dici potuisse negabit, videat Il. V 252, ubi in eadem condicione, cum Sthenelus Diomedem adhortetur, ut ex pugna se recipiat et fugiat, hic heros ei respondet: μήτι φόβονδ᾽ ἀγόρευε. Vides hic quoque ut IX 59 τρέπεσθαι vel νέεσθαι subaudiendum esse. Hac explicatione accepta v. Il. X 356,

de quo viros doctos disputare dixi, nullam difficultatem nobis praebebit, sed caesuram penthemimerem faciemus, quam in carminibus Homericis saepissime invenimus, et sic legemus:

ἐκ Τρώων ἰέναι || πάλιν Ἕκτορος ὀτρύναντος.

In hoc quoque versu τρέπεσθαι vel νέεσθαι supplendum est.

At dixerit quis: Quid? Veterum interpretum auctoritatem non sequemur? Non semper. Nam exempla monent, ne semper illorum sententias et interpretationes optimas putemus; constat enim fuisse inter illos, qui διαστήτην ἐρίσαντε = διὰ στήτην = διὰ γυναῖκα ἐρίσαντε esse intellegerent.

Apud Hesiodum,

ut in Iliade et in Odyssea, πάλιν nisi „retro“ nihil significat, tribus ubi exstat locis:

E. 673. σπεύδειν δ᾽ ὅττι τάχιστα, πάλιν οἰκόνδε νέεσθαι
Th. 181. ἐσσυμένως ἤμησε, πάλιν δ᾽ ἔρριψε φέρεσθαι
772. ἐξελθεῖν δ᾽ οὐκ αὖτις ἐᾷ πάλιν (Cerberus).

In Hymnis Homericis

πάλιν = retro est, ubi bis invenitur: Demet. 399:

εἰ δ᾽ ἐπάσω, πάλιν [αὖτις] ἰοῦσ᾽, ὑπὸ κεύθεσι γαίης
οἰκήσεις ὡρέων τρίτατον μέρος (Ceres Proserpinae).

Herm. 220:

ἴχνια μὲν τάδε γ᾽ ἐστὶ βοῶν ὀρθοκραιράων,
ἀλλὰ πάλιν τέτραπται ἐς ἀσφοδελὸν λειμῶνα.

Quoniam apud Homerum et Hesiodum nusquam πάλιν = iterum esse vidimus, vocem nunquam sic adhibitam esse ut αὖ vel αὖτε, vel omnino carmina Homerica illo usu carere, cuius varia exempla p. 12 composui (n. 3. 4. 5), non mirabimur. Potuit enim poeta dicere τὸν δ᾽ αὖ (vel αὖτε) . . ἀντίον ηὔδα, si αὖ vel αὖτε temporalem significationem habuit; atque in exemplis ut τὸν δ᾽ αὖ . . ἀντίον ηὔδα facile temporalis significatio (non adversativa) cognosci potest. (cf. etiam τὸν δ᾽ ἠμείβετ᾽ ἔπειτα . . in versibus ἐκ παραλλήλου constructis). Neque enim dubium esse potest, quin populus unusquisque prius temporalibus coniunctionibus usus sit quam adversativis. Itaque αὖ vel αὖτε Homericum nihil

aliud significare verisimile est nisi „deinde", quamquam viri docti primam et naturalem significationem αὖ vocis „retro" esse censent.[1]) Licet principalis et naturalis vocis significatio „retro" fuerit, hoc pro certo dici posse arbitror: compositiones ut τὸν δ' αὖ tum demum ortae sunt, cum αὖ iam non localem, sed temporalem significationem haberet. Δέ adversativum quoque nescio an primo temporali modo usurpatum sit[2]), quamquam Kvičala[3]) non minus verisimiliter δέ idem esse ac terminationem verbis οἰκόνδε, ἐνθάδε, τοιόσδε, ὅδε aliis suffixam, quod δέ primo locativus fuerit, explicat.

Neque tamen negari potest iam in carminibus Homericis exempla inveniri, in quibus αὖ vocem adversative usurpatam esse manifestum est, velut Il. II 186 ὅν τινα μὲν βασιλῆα κιχείη, II 198 ὃν δ' αὖ ἄνδρα ἴδοι, sed hic quoque particulam adversativam ex temporali ortam esse cognosci potest: quem quidem regem convenit . . . quem deinde virum popularem conspexit . . Sic πάλιν quoque iis demum temporibus ad adversationem notandam adhiberi posse apparebit, quibus vox non modo localem sed etiam temporalem notionem habuerit.

Iam vero transeamus ad alios poetas septimi et sexti a. Chr. n. saeculi. Evolventi mihi Poetas Lyricos Gr. paucis locis πάλιν occurrit. Attamen in omnibus dialectis usurpatum est, id quod ea, quae a veteribus poetis composita restant, testantur; quo quidem e carminibus Homericis irrepsisse potest. Jones etiam in aliis scriptis atque in Iliade et

---

[1]) Cf. Kuehner. II 2, 278 *Αὖ* in seiner ursprünglichen Kraft als Adv. hat wahrscheinlich die örtliche Bedeutung: zurück, retro gehabt, obwohl es sonst in derselben nicht mehr gefunden wird (mehrmals aber bei Homer *αὖτις*), indem es schon sehr früh in die zeitliche: rursus überging.

[2]) Cf. Hartung. I, p. 156 sqq., qui *δέ* ex *δίς* (quod eadem origine est qua *δύο*) abbreviatum et primo „iterum" significavisse putat. Item Baeumlein, qui ex *δευ* $\sqrt{\delta\upsilon}$ ut *δεύ-ομαι, δεύ-τερος* particulam derivat significantem „iterum", primam *δέ* particulae significationem temporalem fuisse arbitratur.

[3]) Ztschr. f. d. österr. Gymn. 1864 p. 315 sqq.

Odyssea illa voce usos esse constat (Invenitur tamen plerumque in compositis):

Archil. 34 πρὸς τοῖχον ἐκλίνθησαν ἐν παλινσκίῳ,
87 πάγος τρηχύς τε καὶ παλίγκοτος.

Semon. Amorg. 7, v. 43:
Τὴν δ' ἐκ πελιδνῆς καὶ παλιντριβέος ὄνου,

Bacchyl. 8, 16 et 16, 81 (ed. Blass.).
8,16: οὔ νιν
πεῖθ' Ὀϊκλείδας πάλιν
στείχειν ἐς εὐάνδρους ἀγυιάς.
16,81: τῶι δ' οὐ πάλιν
θυμὸς ἀνεκάμπτετ'.

In dialecto Laconica, Alcm. frg. 85 B:
Λιγύκορτον πάλιν ἄχει (sc. μάγαδις);

apud Aeolios Sapph. frg. 72:
Ἀλλά τις οὐκ ἔμμι παλιγκότων ὄργαν;

ab Alcaeo proverbium provenit:
Πάλιν ἡ ὗς παρορίνει (quod sic explicatur: ἐπὶ τῶν παρακινούντων τινὰ εἰπεῖν καὶ ἄκοντα, ἃ οὐ βούλεται. Paroem. Gr. ed. Ern. a Leutsch. Gott. 1851. II p. 765).

In Theognidis

carminibus vel potius in carminibus, quae Theognidis esse dicuntur, πάλιν, ubi ter invenitur, et „retro" et „contra" (quod nihil aliud esse ac „retro" dixi) significat.

1. retro: 711 καὶ κεῖθεν πάλιν ἦλυθε Σίσυφος ἥρως.
2. contra: 108 οὔτε κακοὺς εὖ δρῶν εὖ πάλιν ἀντιλάβοις.
   735 πάλιν τῖσαι κακά.

Apud Pindarum

πάλιν quater invenitur „retro" significans: Nem. X 73 πάλιν χώρησεν, Ol. I 67 προῆκαν πάλιν αὖτις, Nem. III 63 μὴ ὀπίσω πάλιν οἴκαδ' — — μόλοι, frg. 133 (98) 3 ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν. Semel cum articulo adhibitum id legimus, ubi, si a scholiasta recte intellectum est, ἐναντίον vel τοὔμπαλιν = contrarium significat. Ol. X 103 sic enim legimus:

ἀλλ' ὥτε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρί
ποθεινὸς (sc. ἐστὶν) ἵκοντι νεότατος τὸ πάλιν
ἤδη, μάλα δ' οἱ θερμαίνει φιλότατι νόον.

Hoc loco πάλιν cum articulo coniunctum significationem habet, quae neque apud eos, qui ante Pindarum fuerant, neque apud eos, qui post eum vixerunt, reperitur. Neque tamen illa lectio veteribus codicibus tradita, sed a Demetrio Triclinio in textu posita est (vide eius schol. τὸ πάλιν] οὕτως ἔχει πρὸς τὸ μέτρον ὀρθῶς). Codices autem varias lectiones exhibent: τοὔμπαλιν aut τ'ἔμπαλιν aut δ'ἔμπαλιν aut ἔμπαλιν. Paraphrases quoque omnes verba cum πάλιν voce composita praebent, non πάλιν ipsum. B C D E Q (codices paraphraseon) sic explicant hos versus: ὁ δὲ νοῦς · οὕτω δέ σοι ποθεινὰ καὶ ἡδέα ἔσται, ὥσπερ τις γνήσιος παῖς ἐκ νομίμης γυναικὸς πατρὶ ποθεινὸς ὁρᾶται εἰς τὸ ἀνάπαλιν τῆς νεότητος ἐλθόντι · τουτέστι γηράσαντι.

A (Ambrosianus) autem praebet: τοὔμπαλιν · εἰς τὸ ἐναντίον τῆς νεότητος. Scriptura τοὔμπαλιν profecto τῆς νεότατος, codicibus tradita, optime quadraret et ad sensum et ad dicendi usum (cf. apud Pindarum ipsum Ol. XII 10 et 11 πολλὰ δ'ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν, ἔμπαλιν μὲν τέρψιος.
Pyth. XII 32 ἔσται χρόνος
οὗτος, ὃ καί τιν' ἀελπτίᾳ βαλὼν ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ'οὔπω, sic alii quoque dicunt: τὰ ἔμπαλίν τινος πεφυκέναι, τὰ ἔμπαλιν γνώμην ἔχω ἢ οὗτος), nisi metro in textum recipi vetaretur; desiderantur enim tres breves. Quare τὸ πάλιν a Triclinio propositum quamvis suspectum, cum ullo alio loco a Graecis sic adhibitum non exstet, retinere cogimur, quoniam aliter loco mederi non possumus. Attamen hic versus tractandus mihi erat, ut τὸ πάλιν = τὸ ἔμπαλιν ne a Graecis quidem intellectum esse ostenderem, cum aliis verbis illam locutionem explicare studerent.

Apud Herodotum

πάλιν 1. plerumque „iterum, denuo“
2. retro.

Cum index Herodoteus non exstet, Schweighaeuseri autem lexicon nisi his verbis vocem, quomodo ab Herodoto adhibita sit, non explicet: „πάλιν, non solum Rursus, Iterum, sed et Retro. π. χώρεε, μητ' εἴσιθι ἐς τὸ ἱρόν“, ipse maximam partem operis Herodotei evolvi, at Schweighaeuserum

rectum indicavisse inveni. Cf. I 88 ὡς δέ σφι ἄσημα ἔφραζε, πάλιν ἐπειρώτων τὰ λεγόμενα . ., I 118 π. ἀπηγέετο τῷ Ἁρπάγῳ . .

Apud Aeschylum

πάλιν = retro, rursus, iterum. (usus sum Lexico Aeschyl. Dind.) Cum optime Guilelmus Dindorf singulos locos collegerit et notaverit, de Aeschylo pauca dicam. Neque vero plane cum interprete consentio, qui Sept. 803 πάλιν pro tradito πλέον coniecit. Ut enim ipse observavit, πλέον, quod non genuinum esse apparet, facillime metathesi ex πέλον oriri potuit. Editores omnes fere pro tradito πλέον „παρόν“ scribunt. Attamen, cum πέλω, quod et „advenio“ (cf. Ag. 1124 ταχεῖα δ'ἄτα πέλει, Suppl. 1051 μετὰ πολλῶν δὲ γάμων ἅδε τελευτὰ προτερᾶν πέλοι γυναικῶν) et „sum“ significat (cf. Lex. Aesch. Dind.), cum apud alios tum apud Aeschylum ipsum saepe inveniatur, in hoc versu „πέλον“ scribendum esse puto.

Sep. 1040 (ed. Weil.) legimus:

μηδέ τῳ δόξῃ πάλιν.

Omnes fere interpretes πάλιν h. l. „contra“ esse arbitrati sic versum interpretantur: „neve quis contra sentiat, neve quis contraria decernat.“ Ergo idem esse putant atque ἔμπαλιν (cf. etiam schol. A μήτε ἀντεστραμμένως ἐμοί, ἤγουν ἐναντίως, τὶς οἰηθῇ γενήσεσθαι τοῦτο. B πάλιν] ἄλλο τι). Quominus ita versum intellegamus, sensu non impedimur, quamquam versum sic intellectum in conexum non bene quadrare legentem non fugiet. Neque tamen scio, an Brunckio assentiamur, qui rectissime offendit in μηδὲ πάλιν δόξῃ τινί = ne quis contraria sentiat vel decernat, quod a solito dicendi usu abhorret, et qui ingeniose ita verbis constitutis:

μηδέ σοι δόξῃ πάλιν·

θάρσει, παρέσται μηχανὴ δραστήριος, iterum Antigonen animum suum alloqui putat hoc verborum sensu: „ne consilium mutes, o anime, confide, non deerit negotium conficiendi opportunitas.“ πάλιν δοκεῖ τί τινι = „consilium mutat“ facile explicari potest (cf. e. c. παλινῳδία, μῦθον π. λάζεσθαι, Eurip. Hipp. 891 π. ἀπεύχου [sc. τὰς ἀράς]), π. δοκεῖ τί τινι = „contrarium sentit“ non potest, nisi forte πάλιν = ἔμπαλιν

esse putaveris, idque metri causa positum. (cf. Aristot. 406a 31 φασὶ γὰρ οἱ μὲν τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ τρέφεσθαι, καθάπερ καὶ αὔξάνεσθαι, τοῖς δὲ . . τοὔμπαλιν δοκεῖ, τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ.)

De Sophocle

non plura quam de Aeschylo mihi dicenda sunt, cum singulos locos idem Dindorfius accuratissime collegerit. Nam πάλιν, semper cum verbis coniunctum, apud Sophoclem aut „retro“ aut „iterum“ valet.

Euripidis

fabulae, quem poetam tragoediae non modo novam compositionis et morum notandorum formam sed etiam locutionis induisse constat[1]), πάλιν particulae usu ab Aeschylo et Sophocle non longe differre videntur. In tragoediis enim, quas quidem legerim (Med. Hipp. Herc. Electr. Phoen., Pseudo-Eur. Rhes.), cum index vel lexicon praesto non esset, πάλιν semper fere aut „retro“ aut „iterum“ est, semel mera temporali significatione adhibitum inveni. Med. 275 ἄπειμι πρὸς δόμους π., 1152 π. στρέψεις κάρα, 1168 π. χωρεῖ. Hippol. 182 coniunctum cum articulo τάχα δ᾽ ἐς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν. 243 π. μου κρύψον κεφαλάν, 648 δέξασθαι π., 823 ἐκνεῦσαι π., 891 ἀπεύχου π., 982 ἀνέστραπται π. Electra 659 π. εἰς καμπὴν ἄγε, 1204 π. μετεστάθη. Rhes. 216 π. πέμψειε, 235 κάμψειε π., 594 π. στείχωμεν, 775 ἀνεχωρείτην π., 883 ἀνάγει π., 779 ἀπελθὼν αὖθις ἐς κοίτην π. Herc. 25 ἥκει π., 297 τίς θανόντων ἦλθεν ἐξ Ἅιδου πάλιν; 429 ἔβα π., 661 π. ἔβαν, 736 π. ὑποστρέφει, 745 π. ἔμολεν, 946 συντριαινώσω π., 1120 ἠνίξω π.

Praeterea coniunctum cum articulo invenitur et ei tamquam substantivo genitivus additur 777/8:

χρόνου γὰρ οὔτις ἔτλα
τὸ πάλιν εἰσορᾶν.

τὸ πάλιν χρόνου vertendum est: futurum tempus, i. e. iteratio, quae in temporis spatio fit. (Cf. contra, qua significatione

[1]) Mommsen, Beitr. z. d. Lehre v. d. gr. Präpos. p. 76.

Triclinius Pind. Ol. X 103 τὸ πάλιν adhibuerit.) Phoen. 557 αὖτ᾽ ἀφαιροῦνται π., 673 π. συνῆψε, 725 δεῦρο σωθήσει π., 920 ἐκνεύει π., 1168 π. ἐξαθροίζεται, 1207 ἄνελθε π., 1400 π. χωρεῖ. V. 1044 autem temporali modo adhibitum est, cuius usus apud Euripidem nisi hoc exemplum non inveni: 1042—46:

χρόνῳ δ᾽ ἔβα
Πυθίαις ἀποστολαῖσιν
Οἰδίπους ὁ τλάμων
Θηβαίαν τάνδε γᾶν
τότ᾽ ἀσμένοις, πάλιν δ᾽ ἄχη.

In sex Aristophanis

comoediis (Ach. Equ. Nub. Vesp. Ran. Plut.), quas perlegi, cum index aut lexicon Aristophaneum non exstet, πάλιν cum verbis coniunctum „retro“ aut „iterum“ significare vidi. Acharn. 342 κατάθου πάλιν τὸ ξίφος, 779 πάλιν τὺ ἀποισῶ . . . οἴκαδις, 820 ἴκει πάλιν. Equ. 224 ἀμύνου κἀπαναστρέφου π., 281 π. ἐκθεῖ, 497 ἥξεις π., 501 αὖθις ἐκεῖθεν π. ὡς ἡμᾶς ἔλθοις, 613 ἐλήλυθας π., 657 ἐπένευσεν εἰς ἐκεῖνον ἡ βουλὴ π., 1098 γεροντάγωγεῖν κἀναπαιδεύειν π., 1147 π. ἐξεμεῖν, 1347/8 τὰ ὦτά σου ἐξεπετάννυτο . . . καὶ π. ξυνήγετο. Nub. 744 π. κίνησον αὖθις, 945 αὖ π. αὖθις ἀνιστάμενον συμφῆσαι, 1282 ἕλκειν κάτωθεν . . π. Vespae 158 δύου π., 280 ἔμβαλλε π. 208/9 ποῦ ποῦ ᾽στί μοι τὸ δίκτυον; σοῦ σου, π. σου. Ran. 177 ἀναβιῴην νῦν π., 525 οἴσεις π., 591 π. ἀνανεάζειν, 596/97 αὖθις αἴρεσθαι π., 600 ἀφαιρεῖσθαι π., 651 δεῦρο π. βαδιστέον, item 658, 1486 π. ἄπεισιν οἴκαδ᾽ αὖθις. Plut. 95 εἰ π. ἀναβλέψειας, 117 π. ἀναβλέψαι, 221 ἤγε πλουτήσωσιν ἐξ ἀρχῆς π., 248 π. ἀναλῶν, 268 π. φράσον μοι, 460 βλέψαι π., 510 εἰ βλέψειε π., 622 π. αὖ ἐλθών, 691 π. ἀνέσπασεν, 779 π. ἀναστρέψας, 859 τὸν ἐσόμενον τυφλὸν π. αὖθις, 866 εἰ π. ἀναβλέψειεν ἐξ ἀρχῆς; 1029 contra (= retro) τὸν εὖ παθόνθ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ πάλιν μ᾽ ἀντευποιεῖν δίκαιόν ἐστι.

In Thucydidis

libro (cf. Ind. Thuc. Essen.) πάλιν, quod centies undecies occurrit, plerumque „retro“ significat. Semel aut „contra“ aut „porro“ exprimere videtur, dico I 120: τοὺς δὲ τὴν μεσόγαιαν μᾶλλον καὶ μὴ ἐν πόρῳ κατῳκημένους εἰδέναι χρὴ

ὅτι τοῖς κάτω ἢν μὴ ἀμύνωσι χαλεπωτέραν ἕξουσι τὴν κατακομιδὴν τῶν ὡραίων καὶ πάλιν ἀντίληψιν, ὧν ἡ θάλασσα τῇ ἠπείρῳ δίδωσι.

Quid est hoc πάλιν? Estne coniungendum cum καὶ significatque idem, quod καὶ πάλιν posterioribus est, „et porro" an coniunctum cum substantivo (sc. ἀντίληψιν), ut multis aliis locis, significat „contra-acceptionem"? Πάλιν cum substantivo compositum unamque notionem formans saepe invenitur, et apud alios (cf. παλιν—σκοπιά, haud raro Epicurus (vide Epic. Usen.) p. 40 Κένωσίς τε σελήνης καὶ πάλιν πλήρωσις, p. 48 πάλιν ἀνταπόδοσιν, p. 50 πάλιν φοράν; Eurip. Or. 126: τῆς πάλιν μέμνησ' ὁδοῦ), et apud Thucydidem ipsum, velut V 5: ἐν τῇ παρακομιδῇ τῇ ἐς τὴν Σικελίαν καὶ πάλιν ἀναχωρήσει. „καὶ πάλιν" apud posteriores, ut dixi, plerumque „et porro, et item" est, cuius usus unum e multis exemplum iam hic afferre mihi liceat: Theophr. phys. op. p. 514,2 ἔπειτα ὅταν ὁρᾶται πλείονα κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, πῶς ἐν τῷ αὐτῷ ἀέρι πλείους ἔσονται τύποι; καὶ πάλιν πῶς ἀλλήλους ὁρᾶν ἐνδέχεται;

Cum duae explicationis viae sint, equidem πάλιν cum ἀντίληψιν coniungere, quamquam pleonasmus est (sed cf. πάλιν ἐπανιέναι, π. ἐπανέρχεσθαι, πάλιν ἀναχώρησις, Theogn. 108 πάλιν ἀντιλαβεῖν, alia), malim, quod verba eo modo coniuncta haud raro, ut supra dictum est, inveniuntur. Nec minus articulus in duobus verbis semel positus verba τῇ παρακομιδῇ—ἀναχωρήσει et τὴν κατακομιδὴν—ἀντίληψιν secum arte coniuncta esse indicat. Praeterea πάλιν sic ad verba positum, quod nos quidem „contra" vertere solemus, quod tamen Graecis idem valebat ac „retro", Graeci saepe usurpabant (cf. εὖ πάλιν ἀντιλάβοις Theogn. 108, πάλιν ἀντευποιεῖν Aristoph. Plut. 1029, alia). [In hac explicatione secutus sum Benseleri sententiam; Alfr. Gercke contra „καὶ πάλιν" hoc loco artius coniungenda esse putat.]

Xenophontis

scriptorum Cyri expeditionis primum et secundum librum (40 paginas Teubn.) et Memorabilium librum primum postquam perlegi, πάλιν semper cum verbis coniunctum, i. e. „retro, iterum" significans inveni.

In Sturzi autem Lexico Xenophonteo (Lips. 1803) III p. 398b haec falso intellecta et indicata sunt: „πάλιν] vicissim. Hinc πάλιν εἶπεν est respondere, Ἱερ. 9, I. Ἀπ. 4, 8, 5"; at utroque loco πάλιν temporalis particula est (= iterum vel denuo).

Semel πάλιν δέ = item duo enuntiata secum coniungere viderentur, nisi editores inde a Schneidero recte πόλιν δέ scriberent, Cyr. Inst. III 1,18: πόλιν (πάλιν traditum est) δ'ἔφη, οὔπω ἑόρακας ἀντιταττομένην πρὸς πόλιν ἑτέραν;

Antiphontis

orationum perlustravi orat. adv. novercam, tetralogias primam et secundam, de Herodis caede (94 pag. ed. Teubn.); atque bis inveni πάλιν et id cum verbis coniunctum et „retro" significans: Tetr. A δ 5 π. ὑποστρέψοντα; De caede Her. 23 εἰσβὰς π.

Palamedem Helenamque, quae scripta Gorgiae attribuuntur, evolvi, neque vero ullum exemplum inveni.

Andocidis

orationum duas examinavi, quae ei a nullo abiudicantur, De mysteriis et De ipsius reditu, neque vocem nisi cum verbis coniunctam inveni. De myst. 115 π. ἔλεγε, 127 π. ἀνηρπάσθη, 134 ἐωνοῦντο π. De ipsius reditu 9 μεθισταμένης π., 16 π. αὖ ἀπολοίμην, 23 π. ἀπόδοτε.

In Lysiae

orationibus, quas quidem legerim (adv. Erat. adv. Agor. Def. civ. destr. pro Mant. adv. Phil.) πάλιν temporali quoque modo (cf. exempl. 3 in p. 12) adhibere, plerumque tamen significatione „retro", „iterum" oratorem uti inveni. Adv. Erat. π. ᾤχοντο, 88 π. ἂν δύναιτο τὴν πόλιν ἀπολέσαι.

Adv. Agor. 86 ἢ πῶς οὐκ ἂν εἴη ὅστις πρῶτον μὲν ἐναντίον πεντακοσίων ἐν τῇ βουλῇ, εἶτα πάλιν (= iterum) ἐν-

αντίον Ἀθηναίων ἁπάντων ἐν τῷ δήμῳ ἀπογράψας τινὰς ἀποκτείνειε καὶ αἴτιος γένοιτο τοῦ θανάτου. Ne putaveris εἶτα πάλιν esse = εἶτα δέ, quod ipsum in usu non est.

Adv. Phil. 4 πάλιν, quod cum verbo coniungi non debet, „item“ vel „porro“ vel „deinde“ significare videtur: ἀξιῶ δὲ καὶ ὑμῶν, οἵτινες δυνατώτεροι ἐμοῦ εἰσι λέγειν, ἀποφῆναι μείζω ὄντα αὐτοῦ τὰ ἁμαρτήματα, καὶ ἐξ ὧν ἐγὼ ὑπολίπω, πάλιν αὐτοὺς περὶ ὧν ἴσασι κατηγορῆσαι Φίλωνος.

Isocratis

orationes nimis artificiose compositae sunt, quam ut ex eis vulgaris dictionis usum discere possimus. At cum et cum verbis copulare et sine verbis adhibere vocem videmus; semperque Isocratem πάλιν, quod alii pleonastico modo adhibent, evitare dicendum est. Rarissime legimus particulas „καὶ πάλιν“ enuntiata coniungentes, quas alii illius aetatis scriptores saepissime usurpabant. Quinque eius orationum, quas legi (Bus. Adv. soph. Panegyr. Areop. Panath.), Busiris et Adv. soph. omnino πάλιν voce carent, ceterae rarissime exhibent.

Paneg. § 7 π. ἐνοχλεῖν, 63 π. ἐπανελθεῖν, 70 π. ἀπῆλθεν, 156 π. καταστῆσαι. Temporali significatione, i. e. = deinde, porro, § 99 οὐ τοὺς τὴν αὐτῶν ἐκλιπόντας ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων σωτηρίας, καὶ τό τε παλαιὸν οἰκιστὰς τῶν πλείστων πόλεων γενομένους, καὶ πάλιν ἐκ τῶν μεγίστων συμφορῶν διασώσαντας (sc. χρὴ τὴν ἡγεμονίαι ἔχειν); qua in sententia „καὶ πάλιν“ „et porro“ aut „et deinde“ esse apparet.

In Areopagitico nihil inveni, quod notabile sit. Invenitur enim πάλιν quater cum verbis artius coniunctum: 8 π. ἀνακεκαινισμένης, 11 π. κατέστησαν, 16 π. ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν, 71 π. μεταβαλών. Panath. 100 π. ἐξέπιπτον, 150 π. ἐπανελθόντας. 158 καὶ πάλιν ad enuntiata coniungenda positum: πρὶν κύριον ἐποίησαν τὸν κοινὸν τήν τε πόλιν τὴν ἡμετέραν εἰς τοὺς ἐσχάτους καταστῆσαι κινδύνους διὰ τῆς δυνάμεως τῆς Λακεδαιμονίων, καὶ πάλιν τὴν ἐκείνων διὰ τῆς πόλεως τῆς ἡμετέρας.

Apud Demosthenem

πάλιν non modo „retro“, „iterum“ significat, sed etiam temporali et adversativa notione adhibetur.

Temporali modo:

Ol. I 9 ita constructa sunt enuntiata: § 8 εἰ γὰρ ἔθ' ἥκομεν Εὐβοεῦσιν βεβοηθηκότες τὴν αὐτὴν παρειχόμεθ' ἡμεῖς ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν προθυμίαν et sic pergit καὶ πάλιν, ἡνίκα Πύδνα, Ποτείδαια . . . . πολιορκούμεν' ἀπηγγέλλετο, εἰ τότε τούτων ἑνὶ τῷ πρώτῳ προθύμως . . . ἐβοηθήσαμεν αὐτοί . .

Fortasse significat „contra, vice versa“, pro δέ adversativo adhibitum, Ol. II 14: ἡ Μακεδονικὴ δύναμις . . . μερίς ἐστί τις οὐ μικρὰ οἷον ὑπῆρξέ ποθ' ὑμῖν ἐπὶ Τιμοθέου πρὸς Ὀλυνθίους · πάλιν αὖ πρὸς Ποτείδαιαν Ὀλυνθίοις ἐράνη τι τοῦτο συναμφότερον. Dicit igitur orator ad bellum Olynthiis inferendum Macedones cum Atheniensibus coniunctos fuisse; contra ad Potidaeenses bello persequendos Macedones cum Olynthiis societatem iniisse; at ne hic quidem satis constat, utrum adversativo an temporali modo adhibeatur; nescio an πάλιν = „deinde, tum“ sit. Si temporalem significationem haberet, haec series coniunctionum tempus determinantium esset: ποτέ . . . πάλιν . . . νυνί, si adversativam: ποτέ . . . νυνί.

Temporali notione Demosthenem πάλιν voce usum cum ex aliis locis tum ex or. Ol. 1 13 apparet, ubi haec legimus: τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβών, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτείδαιαν[1]).

Temporalis notio („deinde, tum“, non „iterum“) multis praeterea locis apud Demosthenem invenitur, quorum nonnulla afferre velim Or. 12,23 καίτοι πῶς ἂν ἑτέρα γένοιτο βεβαιοτέρα ταύτης κτῆσις, τῆς τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς καταλειφθείσης ἡμῖν ὑπὸ τῶν προγόνων, πάλιν δὲ κατὰ πόλεμον ἐμῆς γεγενημένης, τρίτον δὲ συγχωρηθείσης ὑφ' ὑμῶν . . .

15,14 ὁρῶ γὰρ αὐτούς, τὸ μὲν πρῶτον, ὅπως καταλύσωσι τὸν δῆμον, προσλαβόντας τινὰς τῶν πολιτῶν, ἐπειδὴ δὲ τοῦτ' ἔπραξαν, πάλιν ἐκβαλόντας τούτους . .

Hic talia quoque exempla commemoranda sunt 43,25: ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι εἴπερ καὶ ὁ υἱὸς οἰκειότατός ἐστι καὶ ἡ

---

[1]) Sic adhibitum *πάλιν* et alioquin invenitur, cf. Dittenb. Sylloge II 805 (posteriorum temporum inscr.) *ἔδωκεν εὔζωμον νήστῃ τρώγειν, εἶτα πεπερᾶτον Ἰταλικὸν πείνειν, πάλιν ἄμυδον διὰ θερμοῦ ὕδατος, εἶτα κονίαν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς σπουδοῦ καὶ τοῦ ἱεροῦ ὕδατος, εἶτα ᾠὸν καὶ ῥητείνην, πάλιν πίσσαν ὑγράν* etc.

θυγάτηρ, πάλιν ὁ ὑιδοῦς καὶ ὁ ἐκ τῆς θυγατρὸς υἱός, οὗτοι οἰκειότεροί εἰσιν . .

Saepe sententiam πάλιν vox sola alteram alteri annectit (= „porro, item"). 21.64 πάλιν Φιλόστρατον πάντες ἴσμεν τὸν Κολωνῆθεν Χαβρίου κατηγοροῦντα . . (cf. praeterea 23,47, 23,55, 26,9, 37,28, alia), semel πάλιν δέ positum 59,95 Πάλιν δὲ Ξέρξου ἰόντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα οὐκ ἐτόλμησαν ἀποστῆναι.

Interdum temporali modo pro correlativa coniunctione adhibitum est 28,9: καὶ τοτὲ μὲν εἰς ἀλλήλους ἀναφέρετε, πάλιν δὲ εἰληφέναι κατ' ἀλλήλων μαρτυρεῖτε.

Addo a Demosthene, sicut a ceteris eius aequalibus, saepe „καὶ πάλιν" verba ad enuntiata aut ad singula membra enuntiatorum coniungenda usurpari.

Exempla allata multis aliis ex Demosthenis orationibus collectis adaugeri possunt; attamen plura proferre supersedeo, cum exemplis tractatis Demosthenis dicendi usum satis illustrari putem.

Lycurgus,.

cum rarissime adhibeat vocem, nihil discimus.

Apud Aeschinem oratorem

eundem fere πάλιν vocis usum invenimus atque apud Demosthenem, Aristotelem, Theophrastum, quamquam in oratione adversus Timarchum composita, quam solam legi, multo rarius adhibetur quam apud illos.

Ac temporalis significatio his locis statuenda est: 8 ἅμα δὲ καὶ βούλομαι . . . διεξελθεῖν πρῶτον πρὸς ὑμᾶς ὡς ἔχουσιν οἱ νόμοι περὶ σωφροσύνης τῇ πόλει, πάλιν δὲ μετὰ τοῦτο ἀντεξετάσαι τοὺς τρόπους τοὺς Τιμάρχου . .

155. Cum iuvenum nomina se pronuntiaturum esse dixisset, quibus amores fuissent, sic pergit: καὶ πάλιν ἀντιδιέξειμι ἀνθρώπων πεπορνευμένων . . ὀνόματα.

156 et 157 haec legimus: πρῶτον δὲ λέξω τὰ τῶν ἐλευθερίως . . . . πάλιν ἐκ τῶν μειρακίων καὶ τῶν ἐν παισὶν ἔτι ὄντων πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφιδοῦν τὸν Ἰφικράτους . . . . . πάλιν Ἀντικλέα τὸν σταδιοδρόμον καὶ Φειδίαν.

Saepe adhibetur „καὶ πάλιν" ad narrationem continuandam, ubi superiorum temporum auctores aut „δέ" particula aut „ὁμοίως vel ὡσαύτως" vocibus alteram sententiam alteri annectebant, velut 128: εὑρήσετε καὶ τοὺς προγόνους φήμης, ὡς θεοῦ μεγίστης βωμὸν ἱδρυμένους, καὶ τὸν Ὅμηρον πολλάκις λέγοντα πρὸ τοῦ τι τῶν μελλόντων γενέσθαι· „φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε", καὶ πάλιν τὸν Εὐριπίδην ἀποφαινόμενον τὴν θεόν . . .

Cum antea de Euripide sermo nondum fuerit, πάλιν „iterum" significare non potest, sed ad continuandam narrationem positum et „porro" significare perspicuum est.

Eodem modo interpretandum est πάλιν, quod primo loco enuntiati positum sententiam antecedentibus annectit. Eius usus exempla apud Aeschinem quoque inveniuntur: 138 „δοῦλον", φησὶν ὁ νόμος, „μὴ γυμνάζεσθαι . . . ἐν ταῖς παλαίστραις." Ac pergit nonnullis sententiis interpositis 139: πάλιν (= „item") ὁ αὐτὸς οὗτος εἶπε νομοθέτης. Sic etiam „ἢ πάλιν" ad continuandam narrationem adhibetur.

Hyperides

eodem fere modo vocem adhibet quo Aeschines. Temporali sensu: II 7 εἰς τοῦτο ἀναισθησίας ὁ Χάριππος, ὡς ἔοικεν, ἦλθεν, ὥστε πρότερον μὲν, . . . τῆς γυναικὸς προλεγούσης, ὅτι συνομωμοκυῖα εἴη πρὸς ἐμέ, πάλιν δὲ ἀκούων ἐμοῦ παρακελευομένου αὐτῇ, ὅπως ἐμμενεῖ ἐν τοῖς ὅρκοις οἷς ὤμοσεν, ἐλάμβανε γυναῖκα; (cf. etiam III 34).

Fr. 24. καὶ πάλιν τὰς Ἀφύας καλουμένας τὸν αὐτὸν τρόπον ἐκαλέσατε.

In Dinarchi

orationibus, quarum tres legi, haec mihi notanda esse videntur, quibus appareat, qua ratione inde a IV. saeculo vox adhibita sit. Adv. Dem. 43: ἢ τὸ ποιῆσαι πολίτας ὑμετέρους Χαιρέφιλον καὶ Φαίδωνα καὶ Πάμφιλον καὶ Φείδιππον, ἢ πάλιν Ἐπιγένην καὶ Κόνωνα τοὺς τραπεζίτας.

Ad narrationem quoque continuandam vocem usurpat: ibid. 56 διόπερ τὸν παρ' αὐτῶν ἀποστερήσαντα τὸ ναῦλον τὸν πορθμέα ξημιώσασα πρὸς ὑμᾶς ἀπέφηνε. Πάλιν τὸν τὴν πεντεδραχμίαν ἐπὶ τῷ τοῦ μὴ παρόντος ὀνόματι λαβεῖν ἀξιώσαντα καὶ τοῦτον ὑμῖν ἀπέφηνε.

In Platonis dialogis, quos quidem nunc legerim (Men. Phaidon. Eutyph. Crit. Apol. Euthyd. Gorg.[1]) πάλιν plerumque coniunctum cum verbis et solum „retro“ aut „iterum“ significans reperitur. At nonnullis locis iam apud Platonem, ut saepe apud Aristotelem, eius discipulum, et posteriores πάλιν ad „δέ“ particulae vim augendam vel ad enuntiationes adversative opponendas adhibetur. Atque examinemus ea exempla, in quibus haec vocis significatio usurpata esse videtur. In Gorg. c. 38 haec sunt: καί σου κατεγέλα, ὥς γέ μοι δοκεῖν, ὀρθῶς τότε. νῦν δὲ πάλιν αὐτὸς ταὐτὸ τοῦτο ἔπαθε . . Hoc πάλιν cum verbo „ἔπαθε“ coniungi non potest, cum Polus illud nondum perpessus sit neque res enuntiati actio iterata eorum, quae antecesserunt, esse possit; neque fieri potest, quin πάλιν cum νῦν coniungatur, quod oppositum est „τότε“ voci. Cum haec oppositio ipsa „δέ“ particula exprimi possit, πάλιν non nisi „δέ“ augendi causa positum esse perspicuum est.

Cum hoc loco conferendum est Lach. c. 20: Νῦν δ' αὖ πάλιν, ubi tres particulae ad summum adversationis modum exprimendum adhibentur.

Verisimile autem est primum δ' αὖ solum dictum esse, deinde δ' αὖ πάλιν, quia haec compositio verborum, αὖ πάλιν, saepissime adhibebatur cum verbis coniuncta, velut αὖ πάλιν ἰέναι, tum omisso αὖ solum δέ πάλιν, postremo (sed raro) πάλιν solum pro ipso δέ positum.

Sic quoque Ast Polit. 276 e intellexit; Νῦν δέ γε πάλιν ἐπανορθούμενοι, ubi tamen πάλιν cum ἐπανορθούμενοι coniungi potest.

Neque mihi silentio praetereundum est Lach. c. 75, ubi haec difficultatem praebent: Τί δ' ἂν περὶ ἐκείνων λέγοις, οἳ φάσκοντες προεστάναι τῆς πόλεως καὶ ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται, πάλιν αὐτῆς κατηγοροῦσιν, ὅταν τύχωσιν, ὡς πονηροτάτης; Quid est hoc loco πάλιν? Quod haud facile dictu est; sed felici casu accidit, quod paulo ante sententia

[1]) Quod pertinet ad ceteros Asti Lexicon Platonicum sive vocum Platonicarum indicem secutus sum.

eiusdem sensus est, ex qua, quae notio πάλιν voci tractato loco subiecta sit, apparet: οὐ δοκεῖ σοι ἄλογον εἶναι ἀγαθὸν φάσκοντα πεποιηκέναι τινὰ μέμφεσθαι τούτῳ, ὅτι ὑφ' ἑαυτοῦ ἀγαθὸς γεγονώς τε καὶ ὢν ἔπειτα πονηρός ἐστιν;

Ex his sententiis ἐκ παραλλήλου constructis πάλιν = ἔπειτα esse apparet[1]).

Eandem fere significationem c. 72 invenimus, ubi Socrates Calliclem, qui Periclem in rerum publicarum scientia sapientem fuisse negavit, ut nunc sibi de Cimone dicat, monet: πάλιν δὲ λέγε μοι περὶ Κίμωνος. Hic πάλιν δέ = νῦν δέ esse facile intellegitur.

Hic paucis tractandus est locus De re publ. 507 B καὶ αὐτὸ δὴ καλὸν καὶ αὐτὸ ἀγαθὸν καὶ οὕτω περὶ πάντων, ἃ τότε ὡς πολλὰ ἐτίθεμεν, πάλιν αὖ κατ' ἰδέαν μίαν ἑκάστου, ὡς μιᾶς οὔσης, τιθέντες . ., quem Stallbaum his verbis reddit: „ipsum pulcrum, ipsum bonum . . rursus secundum cuiusque speciem ponentes“; ex iis, quae supra tractavi, hoc loco πάλιν = deinde esse facile apparet.

Idem πάλιν apud Platonem ad contradictionem exprimendam adhibitum esse videtur, ubi tamen, ut in exemplo modo laudato, temporalis coniunctio esse potest. Eius usus haec exempla inveni: Euthyd. 293 D καὶ οὕτω τυγχάνεις ὢν αὐτὸς οὗτος, ὃς εἶ, καὶ αὖ πάλιν οὐκ εἶ. Eiusdem dialogi 298 B εἰ γὰρ δήπου, ἔφη, πατήρ ἐστιν ὁ Χαιρέδημος, ὑπολαβὼν ὁ Εὐθύδημος, πάλιν αὖ ὁ Σωφρονίσκος ἕτερος ὢν πατρὸς οὐ πατήρ ἐστιν, ὥστε σύ, ὦ Σώκρατες, ἀπάτωρ εἶ.

In universum Platonis scripta ab Aristotelico πάλιν vocis usu longe differre moneo.

De Aristotele et Theophrasto.

Cum adhuc praeter Demosthenem, Aeschinem, Dinarchum oratores nullum scriptorem invenerimus, qui πάλιν

[1]) Ne mireris post participium, quasi esset verbum finitum, *ἔπειτα* et [in priore sententia] *πάλιν* positum esse: huius usus exempla haud pauca inveniuntur. Sic enim iam A 726/30 legimus:

ἔνθα Διὶ ῥέξαντες ὑπερμενεῖ ἱερὰ καλά
δόρπον ἔπειθ' ἑλόμεσθα . .

Frequentissimus autem est eiusmodi usus apud Atticos; vide e. c. Aesch. Sept. 265:

Κλύων ἀκούσασ' εὐγμάτων ἔπειτα σὺ . . . παιάνισον.

voce ad enuntiata coniungenda usus sit, apud Aristotelem et Theophrastum et post eorum aetatem in omnis generis scriptis huic usui saepius occurrimus. Ac priusquam de Aristotele loquar, Theophrasti, aequalis et discipuli Aristotelis, libros tractabo. Saepe ille, ut supra dixi, hanc vocem ad narrationem continuandam adhibet: multis locis sententiae verbis „καὶ πάλιν“, haud raro verbis „πάλιν δέ“, interdum voce „πάλιν“ sola, nonnunquam „ἢ πάλιν introducuntur“. Quam Theophrasti dicendi rationem ut ostendam, pauca uniuscuiusque usus exempla proferam, cum ceterarum sedem, non verba, indicabo.

Ac primum quidem enuntiatis „καὶ πάλιν“ verbis coniunctis occurimus: De igne 40 οἷον τὸ ὕδωρ ζέον θερμότερον ὂν κατὰ τὴν ἁφὴν οὐχ ἧττον τῆς φλογὸς οὐ τήκει ταχύ. καὶ πάλιν τὸ πῦρ οὐ δύναται κατὰ μικρὰν ἐξάγειν τὸ ὑγρόν De sensu et sensibil. 52 ἔπειτα ὅταν ὁρᾶται πλείονα κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, πῶς ἐν τῷ αὐτῷ ἀέρι πλείους ἔσονται τύποι; καὶ πάλιν πῶς ἀλλήλους ὁρᾶν ἐνδέχεται; 79 καὶ γὰρ αὐτὸς ταύτην φέρει τὴν πίστιν, ὅσα τῶν λείων μέλανα φαίνεται . . καὶ πάλιν ὅσα λευκὰ τῶν τραχέων. Cf. praeterea De lap. 44,56; Hist. pl. I 5, II 3, III 1; De ventis 5,32, 7,43, 10,5,7, alia.

Saepenumero sententiae verbis „πάλιν δέ“ coniunguntur, cuius usus complura exempla item afferre velim: De igne 5 καὶ γὰρ ἡ κίνησις ἡ τοιάδε καὶ ἀλλοίωσις εἰς τὴν τοῦ θερμοῦ πως ἀνάγεται φύσιν· ὁ γὰρ ἥλιος ὁ ταῦτα πάντα δημιουργῶν. πάλιν δ'ἡ τοῦ ἡλίου φύσις εἰ μὲν τοῦ πυρός τις ἰδία, πλείστην ἂν αὕτη καὶ μεγίστην ἔχοι διαφορὰν . .

Hist. plant. II 3, 1. καὶ πάλιν ἁπλῶς αὐτὰ τὰ δένδρα μεταβάλλειν, ὥστε ἐξ ὀξείας γλυκεῖαν γίνεσθαι καὶ ἐκ γλυκείας ὀξεῖαν . . . καὶ ἐξ ἐρινεοῦ συκῆν καὶ ἐκ συκῆς ἐρινεόν. . . . Πάλιν δὲ (= item) συκῆν ἐκ λευκῆς μέλαιναν καὶ ἐκ μελαίνης λευκήν.

III 18,6 Λευκὸς γὰρ ὁ μὲν τῷ καρπῷ μόνον, ὁ δὲ καὶ τοῖς φύλλοις ἐστί. Πάλιν δὲ τῶν λευκοκάρπων μόνον ὁ μὲν . . .

IX 18,11 Ἐν Ἡρακλείᾳ δέ, ὥς φασι, τῆς Ἀρκαδίας οἶνός ἐστιν, ὃς τοὺς μὲν ἄνδρας πινόμενος ἐξίστησι, τὰς δὲ γυναῖκας ἀτέκνους ποιεῖ. πάλιν δ'ἐν Ἀχαίᾳ καὶ μάλιστα περὶ Κερυνίαν

ἀμπέλου τι γένος ἐστὶν ἀφ' ἧς ὁ οἶνος ἐξαμβλοῦν ποιεῖ τὰς ἐγκύμονας.

Praeterea vide De igne 25. Hist. pl. I 2. 7, 10. 7, V 6. 3, VI 1. 2, 2. 6. De caus. pl. I 13. 8, V 1. 8, VI 6. 10. De vent. 30. De sensu et sensil. 49.

Interdum sola „πάλιν“ voce sententiae coniunguntur. Harum quoque exempla afferre mihi liceat:

Hist. pl. I 5,1 et 2. Ἔστι τὰ μὲν ὀρθοφυῆ καὶ μακροστελέχη . . τὰ δὲ σκολιώτερα . . Nonnullis enuntiationibus interpositis sic pergit: Πάλιν τὰ μὲν λεπτόφλοια, καθάπερ δάφνη, τὰ δὲ παχύφλοια, καθάπερ δρῦς.

VII 7,1 Λάχανα μὲν δὴ καὶ τὰ τοιαῦτα καλεῖται κιχόρη, ἀπάπη, χόνδρυλλα . . . . πάλιν καυκαλίς, ἔνθρυσκον, ἡδύοσμον.

VIII 3,2 Καὶ τὰ μὲν ἰνώδη, τὰ δ'ἄφλεβα καὶ ἄϊνα . . . πάλιν ὁ καυλὸς τῶν μὲν γονατώδης καὶ κοῖλος . . .

Nonnunquam πάλιν intra sententias ad „δέ“ particulae vim augendam adhibetur. Nonnulla exempla afferam:

De pl. caus. I 3,1 Τὰ γὰρ ἀπὸ παρασπάδος καὶ ῥίζης καὶ κλωνὸς οὐ πάντως δύναιντ' ἂν καὶ ἀπὸ ξύλου καὶ ἀπὸ ἀκρεμόνος καθάπερ ἄμπελος καὶ συκῆ, τὰ δὲ πάλιν (οὐκ) ἀπὸ τῶν βλαστῶν ὥσπερ καὶ ἡ ἐλέα.

I 12,4 Ταύτῃ μὲν οὖν δόξειεν ἂν μερίζεσθαι τὸ τῆς αὐξήσεως· τῇδε δὲ πάλιν οὐκ ἂν δόξειεν.

II 17,6 Τὸ δὲ τοιαύτης δεόμενον ἀσθενὲς ἂν εἴη τῇ φύσει, τοῦτο δὲ πάλιν οὐκ ἔοικεν ἀλλ' ἰσχυρὸν εἶναι καὶ τρόφιμον.

V 4,3 ταύτῃ μὲν οὖν δόξειεν ἂν ὁ λεπτὸς ἀὴρ πηκτικώτερος εἶναι, τῇ δὲ πάλιν ὁ παχύτερος.

Interdum οὐδέ et aliae coniunctiones πάλιν voce augentur:

De pl. caus. V 14, 6 ὁ γὰρ ὑδατώδης, καὶ θολερὸς οὐχ ὁμοίως ἐργατικός, οὐδ' αὖ πάλιν ὁ λεπτός, καὶ γὰρ εὐκίνητος καὶ οὐκ ἔμμονος.

Cf. praeterea De pl. caus. I 4, 2 (ἄλλοι δ'αὖ πάλιν), I 17, 9 (τὰ δ'αὖ πάλιν).

Denique commemoretur apud Theophrastum et Aristotelem πάλιν interdum = „postea, inferius“ esse, ad

actionem futuram indicandam adhibitum, velut De igne 76: ἀκριβέστερον δὲ πάλιν ἐν ἄλλοις ἐροῦμεν περὶ αὐτῶν.

Jam transeo ad Aristotelem.

Cum Bonitzi Index Aristot. ad rem tractandam non sufficiat, ipsius philosophi scriptis lectis exempla composui et examinavi.

Stagiritam in universum πάλιν voce eodem modo iisdemque significationibus uti atque Theophrastum, eius aequalem et discipulum, sed magnopere differre a Platone, qui usu vocis non longe dissentit ab auctoribus quinti saeculi, videbimus. At multo crebrius eam vocem inveniemus quam apud Theophrastum. Ceterum de Aristotelis scriptis agenti idem mihi notandum est, quod Rudolfus Eucken observavit, Aristotelis scripta maxime inter se differre.

Atque primum quidem Aristotelem „πάλιν" vocem ad narrationem continuandam saepe usurpare legentem non fugiet. Sed scripta eius „miro modo", ut utar Euckeni verbis, etiam „πάλιν" vocis usu inter se differunt. In multis scriptis plerumque „πάλιν δέ" ponitur, in multis plerumque πάλιν solum, sunt autem haud pauca, in quibus haec coniunctio ne semel quidem inveniatur. Illa, in quibus sententiae „πάλιν δέ" verbis vel „πάλιν" solo coniunguntur, neglegentius elaborata esse mihi videntur. In libro de arte poetica edito ne semel quidem enuntiata „πάλιν" voce inter se conectuntur; cetera scripta Aristotelica (neque distinguam ea, quae ab Aristotele ipso profecta sunt ab eis, quae ei supposita esse dicuntur), quae „πάλιν" et „πάλιν δέ" verbis ad enuntiata coniungenda adhitis carent, haec sunt: De iuventute et senectute, De somn. et vig., De mem. et rem., De somn., De mot. anim., De longit. et brevit. vitae, De sensu et sensili, De incessu animalium, De respir., De mundo, De color., De aud., De spiritu. Reliqua scripta Aristotelica alia crebrius, alia rarius „πάλιν" vel „πάλιν δέ" coniunctionem exhibent.

In quattuor de caelo libris semel enuntiatum a „πάλιν δέ" verbis incipit 303 b 25 Ἔτι δὲ τὸ μὲν πυκνότητι καὶ μανότητι τἆλλα γεννᾶν οὐθὲν διαφέρει ἢ λεπτότητι καὶ παχύτητι

. . . Πάλιν δὲ τὸ λεπτότητι καὶ παχύτητι ταὐτὸν καὶ τὸ μεγέθει καὶ μικρότητι.

Interdum altera pars correlationis πάλιν voce exprimitur: 280 b 16 ὁτὲ μὲν μὴ ὂν πάλιν δ᾿ ὄν, pro ὁτὲ δὲ ὄν.

In tribus de anima libris bis ille usus invenitur: 415 a 3 haec leguntur: ἄνευ μὲν γὰρ τοῦ τρεπτικοῦ τὸ αἰσθητικὸν οὐκ ἔστιν . . . πάλιν δ᾿ ἄνευ μὲν τοῦ ἁπτικοῦ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων οὐδεμία ὑπάρχει . . . Item 429 b 18.

In hist. anim. haec sunt 514 a 10: φέρουσι μέχρι τῶν ὤτων, ᾗ συμβάλλουσιν αἱ γένυες τῇ κεφαλῇ. Πάλιν δ᾿ ἐντεῦθεν εἰς τέτταρας σχίζονται φλέβας.

Commemorare quoque velim in apodosi πάλιν positum reperiri: 514 a 35 sqq. δύο δ᾿ ἀπὸ τῆς διὰ τοῦ ἥπατος φλεβὸς ἀποσχίσεις εἰσίν, ὧν ἡ μὲν εἰς τὸ ὑπόζωμα τελευτᾷ καὶ τὰς καλουμένας φρένας, ἡ δὲ πάλιν (altera) ἐπανελθοῦσα (ascendens) διὰ τῆς μασχάλης εἰς τὸν βραχίονα τὸν δεξιὸν συμβάλλει ταῖς ἑτέραις φλεψὶ κατὰ τὴν ἐντὸς καμπήν (cf. etiam De caelo 301 b 25).

In libro, qui De partibus animalium conscriptus est, duo exempla notanda sunt, quorum alterum incipit a „πάλιν δέ" verbis, alterum a πάλιν solo. 656 b 18 Ἐκ μὲν οὖν τῶν ὀφθαλμῶν οἱ πόροι φέρουσιν εἰς τὰς περὶ τὸν ἐγκέφαλον φλέβας. Πάλιν δ᾿ ἐκ τῶν ὤτων ὡσαύτως πόρος εἰς τοὔπισθεν συνάπτει. 662 a 12 Διὰ τοῦτο πάντες εἰσὶν ὀξεῖς πρὸς τὴν διαίρεσιν. Πάλιν καὶ πολλοὶ καὶ πολλαχῇ.

Libri De sophisticis elenchis et rhetorica eundem fere usum vocis πάλιν enuntiata coniungentis praebent. In Rhetorica plurimae sententiae a „καί" voce ordiuntur, 1398 b 5 et 1397 b 31 incipiunt a verbis „καὶ πάλιν", 1401 a 33 a „πάλιν" solo. Simili modo in libro, qui De soph. el. inscribitur, cf. 165 b 34, 173 a 37, 177 b 13 „καὶ πάλιν", 176 b 36 Πάλιν δ᾿ ἐπεὶ . . ., 178 a 14 πάλιν δὲ τὸ λέγειν, denique 172 b 29 πρὸς δὲ τὸ ψευδόμενον δεῖξαι ἴδιος τόπος . . . Πάλιν πρὸς τὸ παράδοξα λέγειν . ., 179 a 14 οἷον εἰ παρὰ σύνθεσιν ὁ λόγος . . . Πάλιν εἰ παρὰ προσῳδίαν ὀξεῖαν . .

De generat. et corrupt. cf.

330 a 4 Πάλιν δὲ τὸ μὲν . .

330 a 20 Πάλιν δὲ τὸ ὑγρὸν . .

332 b 17 Πάλιν εἰ . .

Metaphys. perlegi AαB, in quibus unum exemplum invenitur, quod sit notandum: 999a 16 πάλιν δὲ πῶς αὖ δεῖ ταύτας ἀρχὰς ὑπολαβεῖν οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν.

Ab his scriptis non distat Atheniensium res publica (ed. Blass). Aliquoties „καὶ πάλιν" verbis enuntiata coniunguntur, nonnunquam „πάλιν δέ" particulis:

11 p. 13 καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει μέμνηται περὶ αὐτῶν ἐν τοῖσδε·

δήμῳ μὲν γὰρ . . .
πάλιν δ' ἀποφαινόμενος περὶ τοῦ πλήθους, ὡς αὐτῷ δεῖ χρῆσθαι·
δῆμος δ' ὦδ' ἂν . . .

In p. 15 Kaibel. recte ante δέ, ubi aliquid exciderat, πάλιν supplevit.

41 p. 58 temporali modo adhibitum est: πρῶτον μὲν . . . μετὰ δὲ τοῦτον . . . πάλιν δὲ . .

In Politicis cf. 1254b 10, 1281a 17 (πάλιν τε), 1300a 19 et 27, ubi sententiae altera alteri πάλιν voce annectuntur. In apodosi positum 1257b 10:

Καὶ γὰρ τὸν πλοῦτον πολλάκις τιθέασι νομίσματος πλῆθος . . . ὁτὲ δὲ πάλιν λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα . . .

Nec minus memoratu dignum est hoc exemplum, in quo pro ἐκεῖνος δέ in apodosi πάλιν δ'ἐκεῖνος uberius legimus 1303b 24: θατέρου γὰρ ἀποδημοῦντος ἑταῖρος ὢν τις τὸν ἐρώμενον αὐτοῦ ὑπεποιήσατο, πάλιν δ' ἐκεῖνος τούτῳ χαλεπήνας τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἀνέπεισεν ὡς αὐτὸν ἐλθεῖν.

Transeamus ad organi scripta. Atque in categoriis falso Aristoteli adscriptis hoc exemplum inveni 5a 8 ἔστι δὲ καὶ ὁ τόπος τῶν τοιούτων . . . πάλιν ὁ τόπος τῶν συνεχῶν ἐστιν. Simili modo paulo post adhibitum legimus 5 b 22.

Eidem usui semel occurrimus in scripto, quod de interpretatione agit, 20b 39 κατὰ γὰρ τοῦ ἀνθρώπου καὶ τὸ ἄνθρωπος ἀληθὲς καὶ τὸ λευκόν, ὥστε καὶ τὸ ἅπαν. πάλιν εἰ τὸ λευκὸν αὐτό, καὶ τὸ ἅπαν . . . Sequentem autem sententiam auctor a verbis „καὶ πάλιν" incipit: καὶ πάλιν μουσικὸς λευκὸς βαδίζων. Alterum exemplum in hoc scripto obviam se non dat.

Ab his duobus organi scriptis autem differunt multo crebriore usu πάλιν vocis enuntiationes coniungentis Analytica et Topica; in quibus nescio an res, quae tractatur, causa sit, cur tam saepe adhibeatur.

Cum plura exempla sint, quam quae singulatim tractari possint, nonnullis allatis, quibus appareat, quo modo Aristoteles voce utatur, ceterarum solas sedes indicabo. Atque primum quidem semper fere „πάλιν" solum traditum esse, rarissime „πάλιν δέ" notandum est. In Analyticis prioribus quadragies septies sententiae „πάλιν" solo copulatae sunt, semel „πάλιν δέ" legimus: 44a 14.

Ad δέ particulae vim augendam vel ad narrationem progredientem indicandam πάλιν δέ 25 a 4 adhibitum videmus.

Haud raro a verbis „καὶ πάλιν" aut „ἢ πάλιν" enuntiata ordiuntur. „Καὶ πάλιν" verba in hoc scripto plerumque ad duo membra eiusdem enuntiati inter se arte coniungenda ponuntur, velut 30a 7 ἐν δὲ τῷ μέσῳ σχήματι, ὅταν ᾖ τὸ καθόλου καταφατικόν, τὸ δ'ἐν μέρει στερητικόν, καὶ πάλιν ἐν τῷ τρίτῳ, ὅταν τὸ μὲν . . .

Πάλιν ad progredientem narrationem exprimendam in Anal. prior. his locis inveniemus: 26 a 36, 26 b 10, 27 a 9, 27a 36 ἔστωσαν γὰρ πρῶτον στερητικαί . . . πάλιν. ἔστωσαν κατηγορικαί . ., 28b 11, 31a 10, 31a 33, 33a 25 εἰ γὰρ τὸ A παντὶ τῷ B ἐνδέχεται . . . πάλιν εἰ τὸ A μηδενὶ τῷ B, 34b 19, 36a 2, 36a 17, 38a 4, 38a 26, 40a 18, 44a 25, 45a 9, 45a 31, 45b 1, 46b 7, 47a 28, 47b 29, 48a 15, 48b 35, 50b 33, 52b 8, 52b 25, 53a 22, 55b 16, 57a 9, 57a 23, 57b 22, 58a 4, 60a 29, 60a 40, 60b 35, 60b 41, 61b 19, 62a 37, 63a 18, 63a 23, 63a 40, 66b 26, 68a 3, 68a 11, 68a 21, 69b 15.

Eadem ratio in Analyticis poster. et in Topicis nobis occurrit. Atque in Analyticis post. novies enuntiata ordiuntur a coniunctione πάλιν, bis „πάλιν δέ" traditum est 81a 12, et 82b 24. Sola πάλιν particula coniunguntur sententiae 78b 4, 80b 2, 82b 13, 82b 14, 84a 18, 91b 19, 97b 20, 98a 17; 95b 35 ἀνάγκη θεμέλιον γεγονέναι, εἴπερ καὶ οἰκίαν γεγονέναι. εἰ δὲ θεμέλιον, πρότερον λίθους γεγονέναι ἀνάγκη. Πάλιν εἰ ἔσται οἰκία, ὡσαύτως πρότερον ἔσονται λίθοι.

In octo Topicorum libris creberrime πάλιν coniunctio adhibetur; sexagies quater enim auctor enuntiata a „πάλιν“ voce orditur, bis a „πάλιν δέ.“ Neque vero in libro quinto ullum huius usus exemplum invenitur. Singula indicare nolim, cum longum sit et quo modo ab Aristotele adhibeatur vox, vel ex iis, quae hucusque attuli ceterisque ex scriptis allaturus sum, appareat.

Jam accedo ad Phys. ausc., in quibus multo rarius coniunctio adhibita est quam in scriptis organi, quae evolvi. In cunctis octo libris, quos perlegi, bis πάλιν, ter πάλιν δέ inveni:

Cf. 204a 29 et 243b 3 ἡ μὲν γὰρ ἔπωσις ὦσίς τίς ἐστιν . . . πάλιν ἡ δίωσις καὶ σύνωσις ἄπωσις καὶ ἕλξις εἰσίν. „πάλιν δέ“ vide 232b 31, 233b 28, 245a 6.

Hic quoque exempla inveniuntur, in quibus intra sententias πάλιν positum est ad δέ voculae vim augendam: 220b 21 τῷ μὲν γὰρ ἀριθμῷ τὸ τῶν ἵππων πλῆθος γνωρίζομεν, πάλιν δὲ τῷ ἑνὶ ἵππῳ τὸν τῶν ἵππων ἀριθμὸν αὐτόν.

223b 29 τοῦτο δ', ὅτι ταῦτα πάντα τῷ χρόνῳ κρίνεται, (sc. δοκεῖ), . . . ταῦτο δὲ πάλιν δοκεῖ, διότι τοιαύτης ἐστὶ φορᾶς μέτρον καὶ μετρεῖται αὐτὸς ὑπὸ τοιαύτης.

Jam vero paucis attingere velim librum De audibilibus scriptum, quia non solum δέ sed etiam alias particulas, velut οὐδέ et μηδέ voce πάλιν augeri posse ex eo apparet.[1]) 800a 34 sqq. haec legimus: οὐ δύναται (sc. ὁ πνεύμων) λαμβάνειν τὴν διαστολὴν ἐπὶ πολὺν τόπον, οὐδὲ πάλιν ἐκ πολλοῦ διαστήματος συνάγων ἑαυτὸν ἐκθλίβειν βίᾳ τὸ πνεῦμα. Similiter legitur 802a 21 sqq.: . . . ὥστε τοὺς ἤχους διασπᾶσθαι καὶ μὴ συνεχεῖς ἐκπίπτειν δι' αὐτῶν, μηδὲ γεγωνεῖν ὁμοίως διὰ τὴν μαλακότητα καὶ τὴν ἀραιότητα τῶν πόρων, μηδὲ πάλιν εἶναι δυσαυξῆ τὴν φύσιν, μηδὲ τὴν σύμφυσιν . . .

Nec minus a ceteris scriptis differunt qui est De coloribus liber et Anaxim. rhetorica ad Alexandrum, in quibus πάλιν saepissime temporali sensu (= ἔπειτα) adhibetur, velut 797a 24 ἀσθενεστέρου δὲ τοῦ μέλανος ἀεὶ γινομένου, πάλιν κατὰ μικρὸν εἰς τὸ χλωρὸν μεταβάλλει χρῶμα, καὶ τὸ τελευταῖον

[1]) Quo usu consentit hoc Stratonis scriptum (cf. Alfredi Gercke ap. Paul.-Wiss. 1046 l. l.) cum Theophrasti de pl. caus. libris, differt ab Aristotelis.

γίνεται ξανθόν . . . (praeterea multis aliis locis in libro De color.) In Anax. rhet. ad Alex. 1427b 18 εἴ πως πρῶτόν τινος φίλος γενόμενος πάλιν (= ἔπειτα) ἐχθρὸς ἐγένετο . . .

Nec mihi silentio praetermittenda sunt tria Ethica Aristotelica. Quantopere inter se enuntiatorum coniungendorum et omnino πάλιν vocis usu differant, statim apparebit. Ac primum quidem Ethica Nicomachea ab Ethicis Eudemiis non tam longe differunt quam Ethica Magna ab illorum scriptorum et altero et altero. Ethica quidem Magna, quod pertinet ad vocis tractandae usum, maxime cum scripto De audibilibus et Theophrasti De caus. plant. mihi comparanda esse videntur. Attamen Magna Moralia multo plures omnis generis pleonasmos continent quam illa scripta, qui pleonasmi posteriorum temporum proprii sunt. In Eth. Nic. vero pauca inveni, quae notanda sint. Ad enuntiata coniungenda sive ad narrationem continuandam vox, de qua agitur, nullo loco adhibetur. Bis „καὶ πάλιν“ ad membra eiusdem sententiae conectenda usurpatur, quorum verborum crebro usu omnia fere scripta inde a quarto a. Chr. n. saeculo agnoscuntur. Semel adhibitum est pro altera parte coniunctionis correlativae: 1100a 29 ἄτοπον δὴ γίνοιτ' ἄν, εἰ συμμεταβάλλοι καὶ ὁ τεθνεὼς καὶ γίνοιτο ὁτὲ μὲν εὐδαίμων, πάλιν δ' ἄθλιος.

Ad haec prope accedunt Eth. Eud. „Καὶ πάλιν“ verbis, quae in iis ter inveniuntur (1232b 18, 1246b 23, 1247b 32), et enuntiata et membra eiusdem sententiae coniungi iam antea dixi.

Interdum pleonastico modo vocula adhibetur, velut 1241b 6, ubi pro usitato οἱ δέ scribitur „καὶ οὗτοι πάλιν“: καὶ φιλοῦσι δὴ μᾶλλον οἱ πατέρες τὰ τέκνα ἢ φιλοῦνται· καὶ οὗτοι πάλιν τὰ αὐτῶν ἢ τοὺς γεννήσαντας.

Sola πάλιν voce enuntiata conectuntur 1232b 10: πάλιν περὶ τιμῆς καὶ τοῦ ζῆν καὶ πλούτου . . .

Plane alia dicendi ratio in Magnis Moralibus nobis occurrit. Ac primum quidem, ut supra commemoravi, per pleonasmum item atque auctor scripti De audibilibus particularum disiunctivarum alteram πάλιν voce auget; ubi igitur alii e. c. οὔτε . . . οὔτε aut (raro) οὔτε . . . οὔτ' αὖ dicunt, hic οὔτε . . οὔτε πάλιν habet. Huius usus nonnulla exempla

proferantur: 1191b 32 οὔτε γὰρ παντὶ δεῖ ὀργίζεσθαι οὔτ᾽ ἐπὶ πᾶσιν οὔτε πάντως καὶ ἀεί, οὐδ᾽ αὖ πάλιν οὕτως ἔχειν δεῖ ὥστε μηδενὶ μηδέποτε, vel 1193a 25 οὔτε γὰρ πλείω τῶν ὑπαρχόντων προσθήσει, οὔτ᾽ ἐπαινέσει τὰ μὴ προσήκοντα, οὔτ᾽ αὖ πάλιν ἐλάττω ποιήσει, οὔτε πάντως ἐναντιώσεται . .

1213b 16 auctor postquam non necesse esse unicuiquam multos amicos esse exposuit, sic pergit: οὔτ᾽ αὖ πάλιν ὀλίγους, ἕνα ἢ δύο, ἀλλὰ συμμέτρους τῷ καιρῷ . .

In his exemplis non modo particulas disiunctivas πάλιν voce augeri sed etiam πάλιν ipsum cum αὖ coniungi solere vidimus. Sic etiam initio enuntiatorum, ubi in ceteris omnibus scriptis solum πάλιν vel πάλιν δέ positum invenimus, hic auctor πάλιν plerumque aliqua vocula auctum scribit: 1190b 32 πάλιν δ᾽ αὖ εἰσὶν ἀνδρεῖοι ἐκ τοῦ ἐναντίου τῆς ἐμπειρίας. 1201a 27 διαμαρτανέτω γὰρ τῷ λογισμῷ τῶν καλῶν . . . πάλιν αὖ διαμαρτανέτω τῷ λόγῳ . . . 1208b 15 πάλιν δ᾽ αὖ δοκεῖ ἄλλοις τισὶν (pro ἄλλοις δέ τισιν) ἐν τοῖς ἐναντίοις μᾶλλον ἐγγίνεσθαι ἡ φιλία. 1209a 11 ἐπειδὴ γὰρ τἀγαθῷ ἠκολούθει τὸ συμφέρον καὶ τὸ ἡδύ, ᾗ ἐστὶ φαῦλος ὢν ἡδύς, ταύτῃ φίλος. πάλιν αὖ συμφέρων, ᾗ συμφέρων, ταύτῃ φίλος.

Neque vero cum solo αὖ pleonastice coniunctum πάλιν invenimus sed etiam cum aliis synonymis vocibus compositum: 1195b 17 πάντες γὰρ οἱ ἔλαττον λαμβάνοντες ἀντικαταλλάττονται . . . ἔτι πάλιν οἱ τὸ ἔλαττον λαμβάνοντες καὶ ἀδικούμενοι, ᾗ οὐκ ἴσον λαμβάνουσιν, οὗτοι καλλωπίζονται· pro ἔτι πάλιν alioquin aut solum ἔτι aut πάλιν scriptum vidimus; cf. praeterea 1188a 23.

Rudi et nimis abundanti modo sententias aliquoties compositas legimus, velut 1206a 36 . . . οἷον ἐπειδὴ ὁ λόγος κρατεῖ ποτε τῶν παθῶν . . . καὶ τὰ πάθη δὲ πάλιν ἀνεστραμμένως τοῦ λόγου κρατεῖ . . (καὶ δέ nescio an posterioribus saeculis usitatum fuerit, cum saepe in Epicuri scriptis occurrat), item 1192b 22 καὶ ὁ αὐτός γε πάλιν οὗτος . . .

Apparet igitur ex iis, quae attuli, exemplis, Aristotelis scripta ut ceterarum particularum usu inter se differre, id quod alii ostenderunt, ita etiam in πάλιν coniunctione aliud ab alio longe distare. Sunt enim, ut supra dixi, in

quibus illa particula plane desit, in aliis rarissime adhibetur, in nonnullis (Analyt. Top.) saepissime obviam se offert. Porro in scriptis De audibil. et in Magn. Mor. per pleonasmum quendam adhibitam vocem vidimus, qui alienus est ab Aristotelis scriptis, at aliquam similitudinem habet cum Theophr. De plantis scriptis, quique apud posteriores saepius invenitur (velut in Arriani Epict.) Item vidimus Aristotelicum usum longe distare a Platone, in nonnullis autem libris eundem esse ac Theophrasti aut proxime ad eum accedere. Hoc igitur, ut breviter comprehendam de quibus supra disserui, efficitur hac commentatione ad Aristotelis scripta diiudicanda: Sine ulla dubitatione vel propter πάλιν plane aliter adhibitum Magna Moralia ab Aristotele possunt abiudicari, paulo minus dissentit De audibilibus scriptum ab Aristotelis dicendi usu, cum alia scripta velut De insecabilibus lineis, quod Aristotelis non esse verisimillimum est[1]), πάλιν particula adhibita a Stagiritae tractationibus non distent.

Quod vero posteriorum aetatum scriptores, quantum scio, non longe aliter atque Aristoteles et Theophrastus illa voce utuntur, illorum scripta nunc saltem tempore deficiente tractanda mihi esse non putavi. Satis enim magnum operae pretium mihi esse videtur maxima parte eorum, qui nobis servantur, auctorum examinata ostendisse, quantopere temporis progressu πάλιν vocis usus amplior factus quantopereque vocis significatio usque ad Aristotelis aetatem, cum genuina notio hebetata non iam sentiretur, mutata sit. Vox enim, quae primo notionem nisi localem non habuerat, (in Iliade et Odyssea, apud Hesiodum, in hymnis Homericis), vario modo posterioribus saeculis usurpata est. Quare, quod Horatius (A. poet. 61—63) de singulis verbis docuit, idem de singularum vocum usu significationeque dicere possumus:

ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.

---

[1]) Cf. Alfr. Gercke Paul.-Wiss. 1044 s. v. Aristot., qui illum librum a viro quodam mathematico scriptum esse putat. Aliorum virorum doctorum sententias breviter comprehensas vide ibid.

Ad ea, de quibus hucusque disserui, hoc addere velim: cum Aristoteles eiusque aequales saepe intra sententias ad δέ particulae vim augendam πάλιν apponant, apud posteriores πάλιν interdum pro ipso δέ positum est. Quod ad illustrandum nonnulla exempla referre liceat. Multa eius usus documenta inveni in Arriani Epicteteis:

IV 7,36 ὅπου κρείττων εἶ καὶ ἰσχυρότερος, ἐκεῖ σοι ἐξίσταμαι· ὅπου πάλιν ἐγὼ κρείττων, σὺ παραχώρει μοι.

II 1,9 οὕτω καὶ ἡμεῖς ποῦ χρώμεθα τῷ φόβῳ; πρὸς τὰ ἀπροαίρετα. ἐν τίσιν πάλιν θαρροῦντες ἀναστρεφόμεθα ὡς οὐδενὸς ὄντος δεινοῦ;

II 21,20 τὰ μαλάγματα δ'οὐκ ἄχρηστα, οἱ ἁλτῆρες οὐκ ἄχρηστοι, ἀλλά τισιν ἄχρηστοι, τισὶν πάλιν χρήσιμοι.

Commemorare id quoque velim apud Arrianum πάλιν ad particularum disiunctivarum vim augendam positum inveniri, quem usum in scripto De audibilibus Pseudoaristotelico et in Magnis Mor. iam vidimus:

II 21,20 Ἄνθρωπε, μητ' ἀχάριστος ἴσθι μήτε πάλιν ἀμνήμων τῶν κρεισσόνων . .

Talia et similia exempla facile ex recentiorum temporum poetis et ex scriptoribus orationis solutae adaugeri possunt. At de hac re satis multa. Alia videamus.

Quoniam igitur quibus fere temporibus significationes novas vox acceperit, scimus, videamus, num quid hac quaestione de dubiis scriptis vel carminibus effici possit. Anacreonteorum, quae dicuntur, venustum carmen (57) ante quartum a. Chr. n. saeculum ortum non esse satis confidenter dicere possumus:

Ὁ δραπέτας ὁ χρυσός,
ὅταν με φεύγει κραιπνῶς
διηνέμοις τε ταρσοῖς,
ἀεὶ δ'ἀεί με φεύγει.
οὔ μιν διώκω· τίς γάρ
μισοῦν θέλει τι θηρᾶν;
ἐγὼ δ'ἄφαρ λιασθείς
τῷ δραπέτα τῷ χρυσῷ
ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις

φέρειν ἔδωκα λύπας,
λύρην ἑλὼν ἀείδω
ἐρωτικὰς ἀοιδάς.
πάλιν δ'ὅταν με θυμός
ὑπερφρονεῖν διδάξῃ,
ἄφνω προσεῖφ' ὁ δραπέτας,
φέρων μέθαν μοι φροντίδων, sqq.

Propter dicendi rationem, quam in v. 13 adhibitam legimus, hoc carmen optime Aristotelis vel posteriori aetati attribui posse videmus.

Idem dicendum esse mihi videtur

De Batrachomyomachia

vel Batrachomachia, quae Homeri nomen prae se fert. Temporibus Homericis hoc carmen ortum esse apud auctores Romanos legimus (Martial. XIV 183, Stat. Silv. libri I praef., Fulgent. Mythol. I.). Quod idem Archelaus artifex in tabula marmorea expressit[1]), quo Homerus divinis honoribus afficitur; ibi enim ranam et murem efficta videmus; artifex igitur ille Homerum Batrachomyomachiam composuisse putasse videtur. Neque vero nostra aetate quisquam est, qui idem credat. Ludwich Plutarchum et Suidam secutus a Pigrete Halicarnasseo factam esse eam putat, item Christ et ante illos Odofredus Mueller, G. Bernhardy, Theod. Bergk.

Cum quaestio nondum soluta sit, nullam observationem supervacaneam esse existimo, quae ad tempora, quibus carmen ortum sit, constituenda ex usu esse possit.

Ac perlecto hoc carmine, postquam usum πάλιν vocis usque ad Aristotelis posteriorumque auctorum aetatem novi, offendi in versu 115, qui neque ad Homericam dicendi rationem quadrat neque ad tempora, quibus bella contra Persas gesta sunt. Itaque Herwerdeni (Mnemos. X (1882) p. 164) sententia valde probanda mihi visa est, qui observata auc-

---

[1]) Editum et descriptum facillime inspici potest in Baumeisteri Denkmäler des Klass. Altertums. München u. Leipzig 1885. I. Bd. p. 111 sqq. s. v. Archelaos.

toris dicendi ratione Batrachomyomachiam a poeta quodam aetatis Alexandri Magni aut posterioris putat esse compositam. Vss. enim 112 sqq. sic legimus (ed. Ludw.):

εἰμὶ δὲ νῦν ἐλεεινός, ἐπεὶ τρεῖς παῖδας ὄλεσσα·
υἱέα μοι πρῶτον δορπήσατο θὴρ μυοφόρβος,
[ἡ γαλέ]η, κλονέοντα [ῥάχι]ν σιάλοιο, τυχοῦσα.
τὸν δ' ἄλλον πάλιν ἄνδρες ἀπηνέες[ἄμ]μορον ἔκταν . .

Scholiasta hoc πάλιν falso intellegit, cum sic explicet: πάλιν· ἐκ δευτέρου. Rectum contra paraphrasis exhibet: τὸν ἄλλον δὲ πάλιν ἄνδρες ὠμοὶ καὶ ἀγνώμονες εἰς θάνατον εἵλκυσαν. Neque enim est dubium, quin πάλιν cum δέ coniungendum sit, id quod multis aliis locis invenimus, et quin significet: (alterum) „autem", vel „contra". Ex iis exemplis, quae ex singulis auctoribus attuli, Batrachomyomachiae quoque v. 115, qui ex contextu totius carminis removeri non potest, multo melius Aristotelis vel posteriori aetati vindicari posse apparere puto quam aetatibus antecedentibus, quorum auctores, quos quidem tractaverim, ne unum quidem illius usus exemplum exhibent. Talis usus exempla, quae iam Aristotelis aetate inveniri vidimus, plura ac saepius post Aristotelem nobis occurrunt, quorum nonnulla, quae mihi notavi, afferre velim:

Menandri (Fr. com. Gr. 4, 245 Meineke):

ἐγὼ μὲν δεικνύω ἐσπουδακώς, οἱ δὲ πάλιν ἐπεμυκτήρισαν.

In Epistologr. Gr. p. 536a Hercher: καὶ ἅμα χωρία καὶ θάλατταν ὑμῖν ὑπάρχει τρυγᾶν καὶ πῇ μὲν βότρυς λαμβάνειν, πῇ δὲ πάλιν ἰχθῦς.

Didymus in commentario ad Demosth. 4, 65: αὐτίκα γὰρ οἱ μὲν ἐπὶ τῷ βελτίστῳ, μνημονεύουσι τἀνδρός, οἱ δὲ πάλιν ἐπὶ τῷ φαυλοτάτῳ . . . Plut. Symp. IX 15,2: τὴν μὲν ὄρχησιν εἶναι ποίησιν σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν πάλιν ὄρχησιν φθεγγομένην . . .

Versum Batr. versui 115 simillimum inveni apud Theocritum in idyllio XII, ubi amator optat, ut posteriores hoc cantent 12 sqq.:

δίω δή τινε τῶδε μετὰ προτέροισι γενέσθην
φῶθ', ὁ μὲν εἴσπνηλος, φαίη χ' ὁ 'Αμυκλαϊάζων,
τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐτην.

Aliam miram congruentiam Batrachomyomachiae prooemii et Theocriti carminis IX notandam esse puto, quam Alfredus Gercke benevolentissime mecum communicavit. In prooemio enim poeta Musas implorat, ut de Helicone εἰς ἦτορ suum veniant carminis causa, quod nuper in tabulis scriptum in genibus suis posuerit (ed. Ludw.):

'Αρχόμενος πρώτης σελίδος, χορὸν ἐξ Ἑλικῶνος
ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ ἐπεύχομαι εἵνεκ' ἀοιδῆς,
ἣν νέον ἐν δέλτοισιν ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι θῆκα,
δῆριν ἀπειρεσίην, πολεμόκλονον ἔργον Ἄρηος.

Herwerden (Mnemos. X 1882 p. 164) spurios esse versum tertium et quartum putat, „siquidem scripto iam carmine absurdissime poeta Musas precaretur, ut in pectus suum descenderent." Ludwich retinet ipsos versus sed θῆκα in θήσω mutandum esse conicit; praeterea χορόν in χάριν mutat, quod χορὸν εἰς ἦτορ ἐλθεῖν abhorreat ab opinione poetarum. Neque dubium est, quin insolito dicendi modo poeta usus sit. Sed alia exempla eius dictionis poeticae non desunt. Quid? quod Il. XVII 210 haec legimus:

Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ, δῦ δέ μιν Ἄρης
δεινὸς ἐνυάλιος, πλῆσθεν δ' ἄρα οἱ μέλε' ἐντός
ἀλκῆς καὶ σθένεος . . .

Hoc exemplo, quod Ludwich ipse p. 320 affert, illam opinionem a poetis Graecorum non alienam fuisse satis probari censeo. Sed quid sibi volunt Musae carmine perfecto invocatae? Equidem Musas non propter eam rem invocari puto, propter quam Herwerden et Ludwich eas implorari arbitrantur, ut sorores in carmine componendo poetam adiuvent; cur Musae confecto carmine invocentur, ex Theocriti idyllio IX apparere videtur. Carmen enim absolutum poeta bucolicus sic finit:

Βουκολικαὶ Μοῖσαι μάλα χαίρετε, φαίνετε δ' ᾠδάς,
τάς ποκ' ἐγὼ κείνοισι παρὼν ἄεισα νομεῦσι.

Recte Fritzsche in editione Theocr. verba φαίνετε δ' ᾠδάς explicat: „et proferte ad lucem, divulgate cantus." Poetae enim veteres saepe non modo deos invocabant, id quod nemo nescit, ut se adiuvarent in carminibus componendis sed aetate Alexandrinorum (cf. Alfr. Gercke Mus. Rhen. 44

[1889] p. 135) saepe etiam, ut carmen absolutum divulgaretur, versibus oraverunt aut postulaverunt. Item auctor Batrachomyomachiae carmine confecto, cum prooemium faciat, Musas invocat, ut ad se veniant carmenque nuper compositum ad lucem proferant. Carmen suum vix ortum nescio an comparet poeta cum puero modo genito, cum obversatum ei sit τ 400/401:

παῖδα νέον γεγαῶτα κιχήσατο θυγατέρος ἧς.
τόν ῥά οἱ Εὐρύκλεια φίλοις ἐπὶ γούνασι θῆκεν.

Musas in prooemio Batr. ὑποφήτορας ἀοιδῆς esse P. Brandtium (De Batr. Homerica recognoscenda p. 26) non fugit; neque tamen de origine quicquam carminis conclusit, cum „prooemium reiciendum ut recentioris aetatis fetum" esse existimaverit. Equidem primos versus ab eodem poeta conditos esse existimo a quo totum carmen. Neque enim dubium est, quin poeta, qui Iliadem ioculari modo imitatus est, prooemium quoque illius carminis heroici ad ridiculum detorquere studuerit. Ac mea quidem sententia poeta optime verba Homerica (Μῆνιν ἄειδε, θεά vel Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα vel τῶν ἁμόθεν γε, θεὰ θύγατερ Διός, εἰπὲ καὶ ἡμῖν) sic deflexit ad ridiculum, ut iam confecto carmine deas, neque vero unam Musam sed omnes invocet iubeatque carmen, admirabile illud opus, quo terribiles pugnae, crudeles Martis furores, celebrentur, μερόπεσσιν ἐς οὔατα πᾶσι βαλέσθαι. An poetam sic ioculari modo Homeri carmina imitatum esse putabimus, ut prooemio omisso carmen inciperet a verbis: Μῦς ποτε διψαλέος . . Miserrimus profecto poetaster esset.

Quae cum ita sint, prooemio quoque commovemur, ut Batr. aetate Alex. compositam esse censeamus. Neque igitur mirum, quod πάλιν v. 115 ad δέ particulae vim augendam ponitur.

Appendix.

Haec fere erant, quae mihi de Graecorum usu exponenda esse videbantur. Liceat mihi breviter commemorare, quae in Romanorum scriptis observavi. Quod enim viri docti multis locis et de variis generibus dicendi observaverunt, ne me quidem fefellit, cum contulerim Graecorum dictionis usum et Romanorum, miram quandam congruentiam esse interdum utriusque populi verborum structurae. Quamquam futuros esse haud ignoro, qui locos paucos cum Graecorum dicendi usu consentientes fortuito cum sermonis Graeci syntaxi concinere dicant, tamen mihi illos locos omittendos non esse existimo, cum mira consensio sit, quae non fortuita esse, sed ex usu sermonis Graeci provenire videtur. Constat enim omnes gentes non modo verba sed etiam enuntiatorum structuras ab aliis gentibus recipere. Brenous (Étude sur les hellénismes dans la syntaxe latine, Paris 1895) in excursu nostrum quoque sermonem tot locutiones peregrinum quiddam sonantes, praecipue Gallicismos qui dicuntur praebere statuit, ut ne nostri quidem poetae, qui principem locum obtineant inter ceteros, eas evitarent, velut ipsi Goethe et Schiller (cf. Brenous. p. 10—17). Cum autem ne principes quidem poetarum nostrorum aliarum gentium locutionibus vacare potuerint, quanto potius Romanorum scriptores pedestres et poetas, qui diligentissime exemplaribus Graecis animos excolebant, Graecas dictiones adhibuisse verisimile est! Atque Brenous l. l. plurimos hellenismos affert, qui apud auctores Romanos inveniuntur; inter eos scriptores orationis solutae, qui plurimos Graecismos praebent, Ciceronem, Sallustium, Livium, Tacitum laudat, inter poetas Catullum, Tibullum, Propertium, Vergilium, Horatium, Ovidium, Val. Flaccum, Statium, Silium Italicum (cf. p. 440/41). Neque mirum est eos structuris sermonis Graeci uti, quem non minus bene noverant quam Latinum.

Jam vero videamus, quae exempla consentiant cum Graecorum usu dicendi, quaeque originis Graecae esse videantur. Plaut. Poen. prol. 79: revertor rursus denuo Carthagine. Quocum conferas e. c. Il. XVII 533 ἐχώρησαν πάλιν αὖτις, Aristoph. Pl. 622 πάλιν αὖ ἐλθών (sescenta alia).

Ciceronis Orat. I (24) 110: vehementer se assentiri Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent,

qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursus eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret.

Id. fin. 3, 10, 34: neque in bonis numerata, neque rursus in malis.

Tac. Agr. 28 sub fin.: Quem casum neque ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit.

Hae sententiae comparandae sunt cum Graecis huiusmodi: Pseudo-Aristot. De aud. 800a 36 . . . μὴ συνεχεῖς ἐκπίπτειν δι᾽ αὐτῶν μηδὲ γεγωνεῖν ὁμοίως διὰ τὴν μαλακότητα καὶ τὴν ἀραιότητα τῶν πόρων, μηδὲ πάλιν εἶναι δυσαυξῆ τὴν φύσιν, vel Arrian. Epict. II 23,5 Ἄνθρωπε, μητ᾽ ἀχάριστος ἴσθι μήτε πάλιν ἀμνήμων τῶν κρεισσόνων . . . vel cum multis exemplis, in quibus particulae disiunctivae αὖ voce augentur, quae dicendi ratio Graecis usitatior erat.

Terentius autem et Caesar alium Graecismum qui dicitur adhibere videntur. Terentius haec habet in Eun. 2, 2, 20: quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque

Caes. b. G. V 44 haec scribit: Succurrit Rufioni Varenus et laboranti subvenit . . . Huic (sc. Vareno) rursus circumvento fert subsidium Rufio.

Id. b. G. IV 1: Quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educunt; reliqui, qui domi manserint, se atque illos alunt. Hi rursum invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent.

Quibuscum compares eiusmodi exempla Graeca velut Didym. comment. ad. Dem. 4,65 αὐτίκα γὰρ οἱ μὲν ἐπὶ τῷ βελτίστῳ μνημονεύουσι τἀνδρός, οἱ δὲ πάλιν ἐπὶ τῷ φαυλοτάτῳ.

Nescio an Horat. epist. I 2, 17, quod cum Graecorum dicendi usu miro modo consentit quodque, quantum scio quantumque e lexicis statuere potui, apud auctores Romanos ἅπαξ εἰρημένον est:

v. 3. Qui (sc. Homerus), quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

v. 17. Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixem.

Quam saepe illam enuntiatorum structuram Graeci usurparent, antea vidimus. Unum exemplum hic repetitum satis sit: Arist. Anal. post. 95b 35 ὅτι ἀνάγκη θεμέλιον γεγονέναι, εἴπερ καὶ οἰκίαν γεγονέναι. εἰ δὲ θεμέλιον, πρότερον λίθους γεγονέναι ἀνάγκη. πάλιν, εἰ ἔσται οἰκία, ὡσαύτως πρότερον ἔσονται λίθοι.

Cum usu Graeco consentiunt etiam Tac. ann. XI, 28 et Val. Fl. Arg. III, 645, ubi tamen auctores „rursus“ pro „contra“ usos quam sermonem Graecum imitatos esse dicere malim.

Vita.

Natus sum Clemens Cleophas Malicki in vico Borussiae Occidentalis, qui Swiniarc vocatur, a. d. VI Nonas Jul. anni 1882 patre Joanne, matre Paulina, quos ambos adhuc salvos esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Literarum elementis imbutus gymnasium Conicense adii; post octo annos vere 1903 maturitatis testimonium adeptus duo semestria Vratislaviae, deinde duo Berolini studiis philologicis incubui; inde a vere 1905 Gryphiae studiis philologicis deditus sum.

Docuerunt me viri doctissimi:

Vratislaviae: Baumgartner, Foerster, O. Hoffmann, Kaufmann, Norden, Pillet, Skutsch, Zacher;

Berolini: Diels, Helm, Hirschfeld, Kekule de Stradonitz, Klebs, Muench, Paulsen, Rothstein, Stumpf, Tobler, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff;

Gryphiae: Bickel, Gercke, Heuckenkamp, Hosius, Kroll, Pernice, Pitrou, Plessis, Radermacher, Rehmke, Seeck, Zupitza.

Per unum semestre proseminarii philologici Vratislaviensis, per duo semestria proseminarii Berolinensis ad eos, qui aliquos progressus fecere in studiis, excolendos instituti sodalis ordinarius fui; item Gryphiae per unum semestre proseminarii, per tria semestria seminarii philologici exercitationibus interfui Gerckio, Krollio, Radermachero, Hosio moderantibus. Scientiam meam linguae literarumque Francogallicarum auxi in proseminario et seminario Francogallicano.

Praeceptoribus illis omnibus gratiam habeo maximam, inprimis autem Alfredo Gercke, qui non modo in hac commentatione elaboranda verum etiam alioquin in studiis meis semper mihi dux fuit benevolentissimus.